(Arch.)
78
11

Arch. 78 u

Lucignanus

NAPOLI

IN VETUS

LITTERATUM MARMOR

PUTEOLIS EFFOSSUM

COMMENTARIUS

NICOLAI LUCIGNANI

PUTEOLANÆ CATHEDRALIS ECCLESIÆ

CANONICI

NEAPOLI

EX TYPOGRAPHIA TRAMATER

MDCCCXXXI.

9 - Bz.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

Εγω δε ει μεν καλως, και αξιως . . . . . ειπον, ως εβουλομην,
ει δε ενδεεστερως, ως εδυναμην

Aeschin. contra Ctesiphont. sub fin.

Cum pergratum mihi, perque iucundum est in rerum perscrutatione veterum volutari, tum de patriis potissimum originibus commentari, longe omnium iucundissimum.

Mazoch. in Dedicat. ad Commentar. in Campan. Amphit. titul.

CAROLO MARIÆ ROSINIO

EPISCOPO PUTEOLANO

A SUPREMIS UTRIUSQUE SICILIÆ REGNI CONSILIIS

MAGNA CRUCE ORDINIS FRANCISCI PRIMI

EXORNATO

REGIÆ SOCIETATIS BORBONICÆ PERPETUO PRÆSIDI

INTERPRETANDIS PAPYRACEIS VOLUMINIBUS

PRÆFECTO

NICOLAUS LUCIGNANUS

S.

Me inscribentem Tibi, Praesul Clarissime, hanc qualemcumque meam interpretationem huiusce veteris egregii lapidis Puteolani, nihil aliud facere puta, quam illud, quod a me et ratio iuris Tui, et debitum officii mei omni-

no exposcere videntur. Etenim si, quemadmodum laudatissima illa maiorum nostrorum consuetudo tulit, non modo filii, sed filiorum ipsorum foetus in plena patris potestate fiunt; si agricolam sequuntur fructus, quicumque industria, ac labore suo e purgato, subactoque solo se se efferunt; profecto non aliis de causis debebatur Tibi commentariolus meus, iure, meritoque offensiones hominum subiturus, si alio ornatus, quam Tuo nomine, in publicam lucem evocaretur. Tu siquidem et quamdiu pater mihi meus fuit, alter mihi amore parens, ac benignitate Tua fuisti, et cum adverso is mihi fato ereptus est, paterna plus-

quam caritate Tua illius mihi iacturam, desideriumque leniisti. Cuius paternae indulgentiae Tuae perquam luculentissimum certe signum fuit Tua illa numquam intermissa cura expoliendi, excolendique mei, quam tanto ardore, ac vehementia plures annos eadem semper constantia prae te tulisti, ut ad unum omnes, qui meque, Teque norunt, confessi sint, nec studiosius curari a patre filium, nec diligentius institui, informarique posse. Enimvero non queo, Praesul Amplissime, non mecum saepe animo repetere dulcissimam illam meorum temporum memoriam, cum me balbutientem adhuc puerulum Christianae fidei rudimenta satis

alacriter, coram Te, prout ea erat aetatula, pronuntiantem primum quidem bene sperare iussisti, mox inter huiusce Tui Seminarii alumnos adnumerasti, tum diligentissimis praeceptoribus, quorum plerosque ex urbe principe mea potissimum de causa accisti, non tanquam unum e multis, sed tanquam eum, qui instar Tibi multorum esset, quotidiana adsiduitate, ac vigilantia commendasti: postremo cum mihi ipsi abunde satisfeceris, ne tum quidem satis adhuc fecisse Tibi arbitratus, ratusque institutionem meam sine voce, ac praeceptis Tuis veluti mancam, ac debilem futuram, nobilissimam Tibi, eamque laboriosissimam illi-

us partem inter tantorum negotiorum molem, stupentibus undique rei novitate hominibus, vindicasti; denique et multis honoribus ornasti, et erudiendo eidem Seminario Tuo summa cum voluntate praefecisti. Atque heic mihi temperare non possum, quin obiter saltem commemorem ingentes istos labores Tuos, quos in eiusdem, de quo loquor, Seminarii cultum, nec noctu, nec interdiu tibi parcens, supra vires aetatis Tuae iam ultra octogesimum annum feliciter progredientis sustines; etsi pro certo norim eos in hanc imbecillitatem ingenii, et ineptientis orationis infantiam nullo modo cadere posse. Tu enim hoc Seminarium squalore, et

sordibus deturpatum ad nitorem, atque elegantiam revocasti : Tu illius spatia amplificasti: Tu collapsam morum disciplinam saluberrimis legibus, atque institutis ad sanctissimi, quod usquam visum interris fuit, Concilii normam instaurasti: Tu castissimo Musarum Choro a nostris longe sedibus nimium quidem diu maiorum nostrorum inclementia peregrinanti aeternam stationem, ac domicilium in eodem tuo Seminario collocasti : Tu severiorum litterarum asperitatem infuso humanitatis lenimento mitigasti : Tu alteram nunc domum amoenissimo situ prope urbem ad puerorum Tuorum oblectamentum pene a fundamentis excitasti : Tu denique

quidquid ad loci ornatum, ad a-
lumnorum institutionem, ad bo-
narum artium incrementum, ad
omnem denique admirationem,
atque invidiam conducere intel-
lexisti, incredibili alacritate,
ac studio suppeditasti; ut Puteo-
lani Seminarii fama in dies ma-
gis inclarescente, iam nullus sit
Neapolitanae ditionis angulus,
quem non compleverit gloria no-
minis sui, perennatura in ani-
mis hominum, atque in memo-
ria temporum sempiterna. Ast
illuc, unde abii, redeo: Tibi in-
stitutori, magistro, ac parenti
meo parvulus hic sistitur ingenii
mei foetus, quicumque is tan-
dem futurus fuerit; qui utinam
talis sit, ut et Tibi viro sagacis-

simo non displicere, et de Tuo sibi patrocinio gratulari merito possit! Sed quemadmodum boni parentis est natorum suorum vitia non fastidire, ut...*Strabonem*

Adpellet paetum pater, et pullum, male parvus.
Si cui filius est etc.

HORAT. SAT. Lib. I. Sat. III. vers. 44.

sic Te, quem amantissimum mihi parentem ut habui, sic semper colui, si quid in hoc tenui commentariolo meo peccatum a me iuvenili insipientia sit, (peccatum autem est quamplurimum) et benigno animo laturum, et me paternas Tibi manus istas eo, quo decet, obsequio deosculantem eadem, qua consuesti, benevolentia complexurum, atque or-

naturum postmodo confido. Te interim D. O. M. ad Religionis columen, ad litterarum decus, et maxime ad huius Puteolanae Ecclesiae felicitatem, cui tanta virtutis, sapientiaeque fama iam triginta, atque amplius annos advigilasti, incolumem servet quam diutissime.

Dabam Puteolis postridie Kalendas Aprilis Anno R. S. MDCCCXXXI.

MDCCCXXXI

AD PUTEOLANI SEMINARII ADOLESCENTES.

En vobis tandem, Adolescentes, diu expectatum commentariolum nostrum. Profecto difficiliora quaedam negotia, dum nil fortasse minus cogitabam, ita alia me post alia interpellarunt, ut serius quidem, quam putaram, me huic operi iam adfecto, meisque in forulis delitescenti extremam manum admovere siverint. Atque illud unum adprime monitos vos volo in hoc ipso vestibulo interpretationis meae, me non ad doctorum virorum usum (quorum tamen iudicium, quomodocumque meritum fuerit de me, erit per mihi semper sanctum;) sed ad vestrum unice ingenium hanc opellam qualecumque meam adcommodasse, monente id sapientissimo isto non tam Antistite, quam Patre vestro, qui cum magnam undique veterum monumentorum copiam comparasset, eaque ordinatim ad parvi cuiusdam Musaei speciem in satis amplo Pseudourbani sui ephebei atrio collocasset, noluit,

vos alumnos suos, quos ad omne doctrinae genus exemplo, et monitis informat, prorsus ieiunos esse earum cupediarum, quae vestris adsidue oculis obversabantur, famemque avidae iuventutis magis, magisque in dies extimulabant. Quare vehementer mecum agere coepit, ut sinerem eam provinciam mihi potissimum demandari, eumque primum inter litteratos lapides (1) *seligerem, qui rerum copia,*

---

(1) Pulcherrimus hic lapis forte fortuna erutus fuit in quodam suburbano praediolo ad eum locum, quem *Orthodonicum* vulgo dicunt, prope veterem Antinianam viam, qua parte ad *Divi Januarii* nunc iri solet. Contigit autem sive casu, sive ita volente Numine, ut eo ipso die per ea loca animi causa vespertinis, ut fit, horis deambularem una cum selectissimis adolescentibus nostri Seminarii alumnis. Quare ad festivos ruricolarum clamores mirum quam volupe nobis fuit statim adcurrere, primique omnium tantam hanc antiquitatis gazam iterum in lucem hominum post tot saecula prosilientem deosculati sumus, imo ut sunt iuvenes natura promti, statim exscribere coepimus eas litteras, quae in antica marmoris facie eminebant; nitidae enim erant, atque unciales, nihil ut luculentius fieri posset Sed inter exscribendum deprehendimus dextrum quoque latus litteris exaratum esse, verum adeo minusculis illis, ac fugientibus, ut, inclinante iam ad occasum die, eas nec adsequi, nec charta excipere licuerit. Atque illa erat omnium mens postridie ad repetendum opus maturius adcedere, cum praeter expectationem nostram utriusque epigraphes exemplar per quam adcurate descriptum ad nos ultro peramanter detulit ornatissimus iuvenis Iacobus Rocco, nostri olim Seminarii alumnus, nunc humaniorum litterarum in hac urbe Professor, Graecae, Latinaeque elegantiae non ignarus, mihi vero et amicitia, et multo magis Philologiae studio coniunctissimus. Quod cum eruditissimo

ac dignitate facile reliquis antecellebat. Atque go quidem lubens dedi manus, mihi perquam honorificum existimans tanti hominis voluntati obsequi, omnesque excussi, si quas habebam, ingenioli mei vires, tum ut illius expectationi, quomodocumque possem, satisfacerem, tum ut hoc, quidquid est commentarioli mei, non indignum suo nomine emitteretur in vulgus. In quo sane, si quid effecerim, vestrum, iuvenes, iudicium esto. Mihi quidem sat erit officio meo non defuisse, et quidquid a quotidianis laboribus meis otii mihi reliquum fuerit, in hanc traditam mihi Spartam exornandam collocasse. Sed ut ad rem tandem deveniamus, operae pretium erit ea primum capita recensere, in quae, tanquam in aptas quasdam stationes, totam lucubrationem nostram distribuimus, tum ut singula ordinatim suum quaeque tueantur locum, tum ut totius operis adspectus sub uno oculorum ictu cuivis pateat. Habetis igitur primum utram-

---

nostro Praesuli exhibuissemus, cuius quanta sit in huiusmodi rebus ακριβεια, neminem, puto, nec nostratium, nec exterorum latet, is dignum eum lapidem iudicavit, quem et non levi pretio compararet, et in Psevdourbano suo Seminario inter tot praestantissimas veteres gazas collocaret, ea praesertim de causa, quod pudoris, et castitatis elogium contineret.

que lapidis faciem fidelissime delineatam , et belle insculptam , tum ex adverso eiusdem lectionem vulgaribus characteribus expressam , tum vero totam διατριβην in sex capita dispertitam , quae sic habent. I. De Gavia Marciana , eiusque virtutibus , genere , atque familia. II. De foleo , eiusque usibus in nostrae praesertim Marcianae funere. III. De Praenominibus , Nominibusque Consulum , qui in altera marmoris facie signantur. IV. De duobus Antonini operibus Puteolos spectantibus. V. De Politico Puteolorum statu. VI. De loco , ubi marmor latebat , deque Marciano , seu de fundo Marciano. *Illud denique tum vos oro , tum quicumque fortasse inspicient has nugas meas, ut si quid minus diligenter notatum , si non eamdem semper eorumdem Scriptorum editionem , si graecos auctores modo graece , latineque , modo latine tantum laudatos deprehenderitis , bona cum venia vestra has parvulas nobis maculas condonetis, cum ob nostram librorum inopiam raptim ex variorum amicorum libris , prout se se obtulit occasio , quemque locum, aut auctoritatem carpere necesse habuerimus. Valete , ac vestrae , vestrique ephebei gloriae consulite.*

CAPUT I.

De Gavia Marciana, eiusque virtutibus, genere, ac familia.

Antequam singula, quae huiusce inscriptionis nostrae propria sunt, ordinatim evolvam, haud inopportunum mihi videtur de nobilissima illa matrona, cui posita ea fuit, quaeque hanc scribendi nobis occasionem praebuit, tum de illius patre, atque propinquis pro re nata breviter praefari. Atque ut ab eius nominibus exordiamur, *Gavia Marciana* adpellata est gentilitio, ac familiari nomine, quod omnibus pene veteribus illis feminis contingebat (1) Jam vero celebrem eam matronam

(1) Summi olim viri, et ad illustrandam omnem litteraturam nati familiare feminis nomen denegarunt. Vide *Praef. ad II. Volum. Thesaur. Graevian.* Verum eorum opinio iamdiu explosa fuit, praesertim cum tot undique veteres lapides emerserint, quorum sane ingentem copiam collegit Petrus

inter suos fuisse, longeque ante alias omnes virtutum, ac generis fama exsplenduisse, nemo dubitare poterit, quicumque tum hunc titulum, tum adpositum Senatusconsultum inspexerit. Nam et *honestam*, et *incomparabilem*, et *sanctam*, et *eximii pudoris*, et *admirabilis castitatis* feminam praedicari, dignamque ob id existimari, cui et *funus publicum*, et *foleum*, et *tres statuae*, et perenne hoc monumentum testaturum posteris moerentissimae civitatis affectus decernerentur, magnum profecto fuit corruptissimis illis temporibus, ubi publici, privatique mores adeo verterant ad perniciem.

De generis vero claritate nil est, quod ultra quaeras. Etenim sive praesentes familiae imagines spectas; et pater, et coniux omnibus reipublicae suae muneribus functi dicuntur, et ipse coniux, fraterque inter splendidos Romanos equites censentur. Sive vetera ornamenta cupis; Gaviam quidem gentem Romanam origine fuisse, interque clariores Romanas stirpes adnumeratam, tum longe, lateque per omnem Italiam diffusam, quamplurimi ab antiquitate superstites tituli demonstrant; ut quamvis cetera

---

Servius *Miscellan. Cap. VI, VII, VIII*, quem consule sis apud eumdem Graev. *loco citato.*

omnia huiusce gentis monumenta perierint, tamen una marmorum fides illius amplitudinis, atque splendoris testis sit locupletissima. Vide sis Gruter. Reines. et praecipue *Marm. Felsin. Sect. IX. Cap. IV.* ubi plurima huiusce gentis decora enumerata invenies. Vide etiam Glandorp. *Onomast. Roman. pag.* 379. (1) Ex

---

(1) Huiusce familiae nobilitas pluribus aliis in nostris titulis εμφατικωτερως extollitur, inter quos haud certe practereundus ille videtur, qui in Regio Neapolitano Musaeo adhuc dum visitur, etsi vel temporum, vel hominum iniuria extrema sui parte mutilatus. Nos integrum adscribemus, prout nempe exscripsimus ex *nuovo Thesauro Muratorii*, qui eius exemplum se ab Neapoli ex aedibus Ferdinandi Sanfelicii, ubi fortasse olim extabat, adcepisse refert *Tom. IV. Thes. Nov. Vet. Inscription. in Appendic. pag. 5. num.* 1.

GAVIAE. M. F
FABIAE. RUFINAE
HONESTISSIM. MATRON. ET RA
RISSIM. FEMIN. M. AVR. PROC
SUMMAR. RAT. VXORI. M. GAVI. PVTE
OLANI. II. VIR. AED CVR. MUNER. GLA
DIATORI. QUADRIDVO. ET. OMNIBUS
HONORIB. ET. MVNERIB. PERFVNCTI
FILIAE. M. GAVII. FABII. IVSTI. SPENDI

*

ea igitur gente ortum hunc M. Gavium, de quo utraque inscriptio nostra, Roma Puteolos

---

DISS. EQ. ROM. AVGVRIS. AED
CVR. MVNER. GLAD. ET. OMNIBUS
*HONORI*B. ET. MVNERIB. PERFVN*CTI. SOR*
RESPVBLICA. PEQ. SVA. OBLAT

Hanc quidem epigraphen si quis videt, prorsus huiusce nostrae gemellam dixerit. Gavia Fabia Rufina Gaviae nostrae Marcianae soror esse vult eodem iure, ac loco genita: idem Gavius Puteolanus Pater, idem Gavius Iustus frater, nisi quod utriusque munera, atque honores ad splendidiorem quemdam apparatum heic fusius enumerantur, illic γενικως attinguntur. Conveniunt etiam characteres; tum dictio ipsa omnino similis nullo nos modo dubitare sinit eodem tempore, locoque binos hosce titulos binis sororibus positos esse. Nec porro mirum videri debet, quod haec Gavia Fabiae etiam sibi nomen adsciverit aeque ut qui Gavius Iustus in superiori marmore dicitur, heic Gavius Fabius Iustus adpelletur. Cum enim stante republica singuli homines non nisi singulis nominibus vocarentur, ea demum excisa, ita religiosa haec nominum observatio labefactata fuit, ut multos viros, feminasque duplici gentilitio nomine vocitatos passim videre liceat tum apud plerasque antiquorum marmorum συλλογας, tum praecipue apud Panvin; qui cnm multa de hac nova nominum ratione post reipublicae tempora scripsisset, postremo de *huiusmodi tractatione* loqui nil aliud esse ait, quam rem, quae cogitatione, atque ani-

migrasse putamus, eodemque secum rerum, ac fortunarum sedem transtulisse, ut eum propterea nostri homines ad rependendam tanto beneficio gratiam et omnibus honoribus ornarint, et Puteolani cognomine ditarint. Et quidem plura non parvi ponderis argumenta id nobis persuadere videntur. Primum quidem gentis origo prorsus Romana, Romaeque in reipublicae administratione non sine magna nominis gloria, pluribus-

---

mo, nedum re comprehendi potest, velle *re ipsa tractare*. Vide praesertim *Marmor. Felsin.* ubi solertissimus auctor plura feminarum exempla legit, quae duplici nomine gentilitio vocantur, inter quas, ut propius quae nostra sunt, notemus, adnumeratur etiam Gavia quaedam Iulia Rufina. Consule *Section. VIII. Cap. VI.* Illud potius obiter animadvertendum in eiusdem, de qua loquimur, gentis decus, nimirum haud parvi momenti fuisse, quod haec Gavia Fabia Rufina nupsisse dicatur M. Aurelio Procuratori summarum rationum: etenim illud munus per ea tempora longe prae ceteris exsplendescebat, Procuratorque summarum rationum, qui et *Rationalis summae rei, et Procurator summae rei* apud Augustaeos Scriptores, reliquis aliis eiusdem nominis administris praeponebatur, et omnia Caesarum negotia supremo iure regebat. Vide Guther. de *Offic. Dom. August. Libr. III. Cap. XVIII.*

que imaginibus diu versata: tum huiusce Gavii, totiusque familiae suae Puteolanum domicilium, quod uterque nostrorum lapidum inculcare videtur. In altero enim, (vide modo substratam notulam) Gavios patrem, ac filium et Duoviratu, et Aedilitate, et Auguratu, et omnibus muneribus ornatos legimus: in altero Gavium patrem omnibus honoribus perfunctum, ac tum etiam Decurionatu fungentem cernimus: denique Puteolanus ordo de Gavio, et Crispino tanquam de propriis civibus inibi commorantibus, suaeque iam reipublicae partem constituentibus, eamque tum illustrantibus amplissimorum munerum, rerumque gloria in adposito Senatusconsulto meminisse videtur. Nihil igitur coniectu aut opportunius, aut facilius, quam M. Gavium Romae ortum, Puteolosque transvectum ibidem ab obsequentissima civitate et omnium honorum gradus, et novum hoc cognomen adcepisse. Atque id confirmare nobis videtur aliud Puteolanum marmor recens ab eodem eruditissimo Praesule comparatum, et paucis abhinc annis editum a docto Viro Andrea Iorio Neapolitanae Cathedralis Ecclesiae Canonico, nostrarumque antiquitatum, ultra quam credi potest, perstudioso.

GN. DOMITIVS. EROS. BAIANVS
C.OCTAVIO. OCTAVIAE. L. PHILONI. ET
SIBI. ET. DOMITIAE. ARESCUSAE. L
ET. GN. DOMITIO. ANTEROTI. L

Ecce tibi Gn. Domitius quarto nomine Baianus dicitur ; cuius certe, si quidem gens Domitia Romana fuit , non in alio fortasse opportuniorem , aut vero similiorem rationem invenies, quam in voluptuosissimi litoris amoenitate , a qua is captus illic esse , quam Romae maluit. Et quidem *απο της οικησεως* , sive domicilii loco cognominatos plures fortasse invenies apud veteres. Ita Manlii dicti sunt *Capitolini*, antequam M. Manlius Gallos a Capitolio depelleret , quod nempe ad Capitolium habitarent, pariterque Genucii cognominati *Aventinenses* ab Aventino , et Virginii *Coelimontani* a Coelio monte , et P. Terentius *Tuscivicalus* a Tusco vico: quae omnia , *και πολλα τοις παραπλησια, ὁσα κοινις* vide sis apud Sigon. et Panvin. *Tom. II. Thesaur. Graevian.* Suspicandi etiam locus esset Gavium hunc Puteolanum patria fuisse , atque inde Romam profectum novum hoc cognomen illic invenisse, quemadmodum et Regillanus , et Amerinus , et

Antias cognomina fuere desumta a locis, unde homines Romam transmigrarunt. Sed hoc vero simile admodum non est. Etenim Gavium hunc Puteolis, non Romae commorari videmus, ubi et omnes colonicos magistratus gessit, et adhuc Decurionem agebat: eoque vel magis hac nobis in sententia stare certum est, quod nempe cognomen illud veluti χαρακτηριστικον Gavii patris in Gavio filio praetermissum cernimus, quem tamen honorificentissimo *Iusti* cognomine, verosimiliter a tantae virtutis laude ornatum legimus; siquidem a virtute, et moribus plures antiquitus cognominatos praeter non paucos haud dubiae fidei scriptores testatissimum reliquit Plutarchus *in Coriol.* Vide Sigon. in *Nomin. Roman.* Atque illud heic in hanc ipsam rem notandum est, quod ab argumento huiusce inscriptionis nostrae non adeo abhorret, nimirum cum positum in more fuisset, ut filii parentum cogomina servarent, non ea tamen lege ad id teneri, ut non liceret quandoque diversum sibi aliunde petere. Ut ecce tibi Pompeius magnus a patrio cognomine recessit, nec se *Strabonem* adpellari unquam passus est. De Cicerone autem

jucunde narrat Plutarchus in eius vita. *Qui primus effecit, ut Ciceronis cognomen non modo posteris neglectum non sit, verum etiam studiose retentum. Cum autem M. Cicero postquam magistratus cepit, crederetur cognomen illud aut mutaturus, aut certe vitaturus, respondit operam se daturum, ut id esset Scauris, et Catulis illustrius.* Atque inde sane factum est, ut alia ex cognominibus quam latissime ad seros posteros propagarentur, alia ne ad filios quidem pervenirent. Quod quidem cum non nisi perraro ante Augusti aetatem, et fere a viris tantum fieret, mox post excisam rempublicam adeo cum ceteris rebus turbatus est etiam nominum ordo, ratioque, ut quisque inepte, et pro lubitu ea sumere consueverit. Tum igitur frequentissime tam viri, quam feminae servato gentilitio nomiue, aliunde sibi cognomina, quam domestica mutuati sunt, nimirum vel ab aliquo eventu, vel crebrius ab avorum, matrum, patruorum cognominibus, ut apte Panvinius idem in *Nomin. Roman. Tom. II. Thesaur. Graevian.* qui diserte rem narrat more suo, tum multa huiusmodi exempla profert, postremo nullam imperatorum aevo certam regulam tradi posse

fatetur. Vide *pag. 1035. et 1043.* Ita nempe sorores Gaviae eodem cum gentilitio nomine diversis cognominibus discernuntur : quae un denam tandem derivarint, quis inter tam densas antiquitatis tenebras divinaverit ? Quamquam de τῳ *Marciano*, quod propius ad nos spectat, haud inepte suspicari licet, illud ad ipsum Gavium patrem pertinuisse. Etenim Gavius hic antequam *Puteolani* cognomine augeretur, aliquo certe familiari nomine vocari oportuit, quod ipsissimum hoc Marcianum fuisse iure, meritoque conjicere possumus. Certe Marciana familia ex nobilissimis, ditissimisque Puteolis erat; quod, ut cetera omnia deessent, satis superque indicat το *Marcianum illud* sive rus, sive praedium, sive quicumque demum is locus fuerit, ubi *Divi Ianuarii* corpus tumularunt Neapolitani, prout extremo commentarii capite disputabimus. Nec illud obstat, quod *Marcianum* ceteris Gavii nominibus non additur in nostro titulo. Etenim praeter quam quod facili quis negotio ex ipsa filia deduceret; certe ab argumento, quod aiunt, *negativo* nihil satis firmae probationis confici potest. Nec enim necesse erat omnia prorsus, si quid fortasse alicui nominum esset, ad vanam

veluti pompam brevi praesertim titulo infarcire ; nostraeque inscriptionis auctor illud tantummodo e cognominibus , quo vel Gavius ipse sese magis ornari arbitrabatur , vel fortasse vulgo frequentius adpellabatur , adscripsisse contentus , ultro cetera praetermisit (1).

(1) Hoc ipsum Puteolani cognomen inter nostros non infrequens fuisse bini lapides nostri declarant , alter isthinc olim in Regium Neapolitanum Musaeum illatus , ubi etiam nunc extat , alter nuperrime ad nostri Serapidis effosus , maioris ille quidem et amplitudinis , et elegantiae ; quos piaculum foret invidere tibi , lector benevole , praesertim cum novum quoddam ex eis robur nostrae huic opinioni adcedat. Sic igitur Regius lapis.

D. M.
AVRELIA. PV
TEOLANA. AEMI
LIAE. AFRODITE
MATRI. BENE
MERENTI. FE
CIT

Serapidicus vero sic se habet

C. IVLIO. C. FILIO. PUTEOLANO. ADLECTO. IN
ORDINE. DECVRION. QVI. VIXIT. ANN
XVII. MENSIB. VI. DIEB. XXVII
C. IULIUS. MAXIMUS. PATER. SEDEM. AETERNAM
RARISSIMI. FILI. DIS. MANIBVS. CONSECRAVIT
HOC. SEPVLCRVM. SI. QVIS. VENDIDERIT. VEL
ABALIENAVERIT. DARE. DEBEBIT. REIPVBLIC
PVTEOLANORVM. POENAE. NOMINE. IS. XX. MIL. NV

CAPUT II.

De foleo, eiusque usu in nostrae praesertim Marcianae funere.

Cum vellet Puteolanus Senatus defunctae Gaviae Marcianae singularem pudorem, et castitatem publicis ornare praemiis, atque muneribus; praeter funus publicum, ac tres statuas, decem etiam libras folei eidem mitti honorificentissime iussit. Atque cuivis hominum non fugacibus quidem oculis, sed paulo attentius utramque marmoris nostri epigraphen inspicienti, duo statim consideranda occurrunt, quae quavis etiam animadversione digna nobis visa sunt: primum quidnam sibi velit το foleum, tum cuiusnam usus fuerit apud veteres. Quod ut ordine, et ea, qua possumus, perspicuitate, in hoc capite prosequamur, tum de vera folei, et foliati notione varias auctorum sententias

excutiemus, tum eius usum in nostrae praesertim Marcianae funere investigabimus. Et quod ad nominis vim spectat, το foleum quando absolute veteres posuerunt, malobathrum, sive malobathri foleum indicasse, quamplurima hominum testimonia probant. Et primum Robert Steph. in *Thes. Linguae Lat.* cum diversas folei notiones accurate, more suo, retulisset, in haec demum verba concludit. *Foleum κατ' εξοχην de malabathro dicitur, quod et interdum foleum barbaricum nuncupatur.* Ludovicus Caelius Rhodiginus in *Lect. Antiq. pag. 639. Edit. Basil. 1542. Phillon*, inquit, *Graeci foliatum vocant unguentum, quo locupletiores feminas uti Romae solitas Galeno credimus, quod ex malobathro conficitur, cuius tria genera folei adpellatione intelliguntur.* (1) Henricus Steph. in *Thes. Linguae*

---

(1) Nimirum hadrosphaerum ex maiore foleo, ex minore mesosphaerum, ex minimo denique microsphaerum. Ad rem Plinius *Lib. XII. Cap. XII. Folia* (idest *folii*, prout jure corrigunt docti viri Salmasius, et Harduinus) *divisere annonam ab amplitudine hadrosphaerum vocatur maioribus foliis. X. XXX. Quod minore folio est, mesosphaerum adpellatur, emitur X. LX. Laudatissimum mierosphaerum ex mini-*

Graecae in voce φυλλον : *Interdum*, ait, *per excellentiam vocatur foleum malobathri, quod mis foliis, pretiumque eius X. LXXV.* Idest pretium nardo aliud alii mercatores fecere, maiori scilicet minimum, minimo maximum, prout Harduinus idem interpretatur cit. Plinii locum *pag.* 661. *edit. Parisiens.* Verum quod heic Plinius de nardo ait, de Malobathro intelligendum esse plerique hominum doctissimorum putant, quorum agmen ducit Salmasius: idque factum existimant, quod Plinius το foleum nardi esse, non malobathri opinabatur, prout ex iis, quae mox superius dabimus, patebit. Porro de hac triplici folei differentia loquitur etiam auctor Peripli: Γινεται δε γενη τρια, εκ μεν του μειζονος φυλλου το αδροσφαιρον μαλοβαθρον καλουμενον, εκ δε του υποδεεστερου το μεσοσφαιρον, εκ δε του μικροτερου το μικροσφαιρον. Εκθεν τα τρια μερη του μαλοβαθρου γινεται, και τοτε φερεται εις την Ινδικην υπο των κατεργαζομενων αυτα. *Fiunt autem genera tria, ex maiore foleo hadrosphaerum malobathrum vocatur, ex minore mesosphaerum, ex minimo microsphaerum. Sic tria fiunt genera malobathri, ac tum deferuntur in Indiam ab illis, qui ea praeparant, et conficiunt.* Jam vero Graecum illud σφαιριον, globum quemdam, sive parvam pilam notat, quam proprio nomine *pillulam* vocant interpretes, italice vero *pillola.* Malobathri enim folia olim in pillulas convoluta venum ibant, eaque forma in Europam exportabantur; ita tamen, ut, quemadmodum refert Salmasius, non plura folia in unam pillulam conglobari solerent,

et interdum cum adjectione φυλλον μαλοβαθρου. Et quidem φυλλον absolute nominat Plutarchus in tractatu, *an bruta ratione utantur*. Item Geoponic. auctor. *Lib. VII. Cap. XVII.* φυλλου σφαιριον εν, ευωδιαν γαρ παρεχει. *Folei pillulam unam, bonum enim odorem conciliat.* Ceteri vero φυλλον μαλοβαθρου adpellare malunt. Galenus *Lib. VI. Simplic.* Μαλοβαθρου φυλλον ναρδου σταχυι παραπλησιον εστι την δυναμιν. *Malobathri foleum spicae nardi similimam facultatem habet.* Aëtius Andromachus in *compos*: *Theriaces* Μαλοβαθρου καλα φυλλα. *Malobathri pulchra folea.* Idem Aëtius *Libr. II.* Μαλοβαθρου φυλλον καλον εστι το προσφατον. *Malobathri foleum recens pulchrum est.* Sed de hisce postremis audiendus est Salmasius *Exercitat. Plin. in C. Iul. Solini Polyhistor. pag. 753. Tom. II. Foleum quando absolute sic*

---

sed ex singulis foliis complicatis singulae pillulae, sive sphaerae constarent. Atque id prorsus sibi vult το κατεργαζεσθαι apud auct. Peripl. *loco citato*, nimirum idem, ac κατασκευαζεσθαι *praeparare*, non autem ad maturitatem perducere, prout reddidit Plinius. Vide haec omnia apud ipsum Salmas. *Exerc. Plin. pag.* 754. Vide etiam Plin. *cum Harduin. Cap. XII. Lib. XII.*

adpellatur, malobathrum est. Hoc profecto mirandum, cum ceteri omnes Graeci, Latinique foleum, et malobathrum idem censeant, alii cum adiecto φυλλον μαλοβαθρου dixerunt. Verum Plinius huic opinioni adversari videtur, qui foleum non de malobathro, sed de nardo κατ' αντονομασιαν dictum putat. Etenim ea notione vocem illam adhibuit tum quidem alibi, tum vero potissimum *Libr. XII. Cap. XII. Radix, et foleum Indis est maximo in pretio;* ubi quidem illud *radix* ad costum, *foleum* vero ad nardum refert, ut indicant ea, quae sequuntur. (1) Postea enim, quam radicem, seu costum descripserit, statim de nardo addit: *De foleo nardi plura dicere par est, ut principali in unguentis. Frutex est gravi, et crassa radice, sed brevi, ac nigra, fragi-*

---

(1) Radix illa costi est, foleum nardi, quae ambae species in India nascuntur. Ita explicat Plinium hoc loco Salmas. *Exercit. Plinian. pag. 759.* unde eruitur, quam male senserint docti quidam, qui eodem teste Salmasio, contra omnium librorum fidem, reique veritatem, ita emendarunt eo loco Plinium. *Nardus costi radix, et foleum Indis sunt maximo in pretio.* Vide etiam Harduin. in Plinium ad *Caput XII. Libr. XII*

lique, *quamvis pingui*, *situm redolente*, *ut cyperi*, *aspero sapore*, *foleo parvo*, *densoque*. Porro quidquid nonnulli dicant ad tutandam Plinii sententiam, certe Salmasius, aliique non infimae notae scriptores, eam plane improbare videntur. Et ille quidem confidentissime aiebat *Exercit. Plin. pag. 750. Pliniana est hallucinatio, qui aroma illud, quod foleum κατ' ἐξοχην a Romanis adpellabatur, nardi foleum esse interpretatus est: at foleum sic adpellatum a Latinis est Malobathrum, sive Malobathri foleum.* Quod autem heic in hanc ipsam rem notandum est, non Plinius modo, sed quamplurimi Graeci, Latinique, eodem teste Salmasio, in eam sententiam iverunt, ut το foleum absolute positum de nardi foleo intellexerint. *Exercit. Plin. pag. 740.* Immo si fides habenda est Dioscoridi, quidam odoris cognatione decepti malobathrum idem, non peculiare aromatis genus esse, sed purum putum nardi foleum arbitrati sunt. Etenim sic ille *Lib. I. Cap. XI.* ubi malobathri descriptionem adornat. *Malobathrum nonnulli nardi Indicae folium esse arbitrantur odoris quadam cognatione decepti: sunt enim multa nardo odore similia, veluti phu, asarum, ne-*

ris ; secus autem se res habet. Etenim peculiare genus est, quod in paludibus Indicis gignitur. Folium id est, quod lèntis palustris modo aquae innatat, nulla fultum radice, id ipsum collectum statim lino traiicitur, siccatumque reconditur. Aiunt et aqua per aestivos ardores exsiccata cremiis, fomitibusque aridis terram peruri, atque id nisi fiat, non amplius renasci. Laudatur recens, et in nigrore quodam albicans, minime fragile, integrum, nares odore feriens, illiusque suavitate diutius implens, nardo sapore simile, nullo salis gustu : infirmum vero, et minutatim concisum, quodque receptae vetustatis carie situm quasi redolet, vitiosum est. (Graecum auctoris locum videsis inferius adnotatum (1) Iisdem fere ver-

---

(1) Μαλοβαθρον ενιοι ὑπολαμβανουσιν ειναι της Ινδικης ναρδου φυλλον, πλανωμενοι ὑπο της κατα την οσμην εμφερειας. πολλα γαρ εστιν ὁμοια τῃ οσμῃ ναρδῳ, ὡς το φου, ασαρον, νηρις. Ουκ εχει δε ουτως. Ιδιον γαρ εστι γενος, φυομενον εν τοις Ινδικοις τελμασι, φυλλον ον επινηχομενον τῳ ὑδατι, καθαπερ ἡ επι των τελματων φακη, ριζαν ουκ εχον, ὁπερ συλλεγοντες ευθεως διαπειρουσι λινῳ, και ξηραναντες αποτιθενται. Φασι δε της θερειας αναξεραν θεντος του ὑδατος καιεσθαι φρυγανοις την γην. Μη γενομενου γαρ τουτου μηκετι φυϊσθαι. Εστι δη καλον το προσφατον, και ὑπο-

bis eiusdem plantae naturam exhibet Plinius *Lib. XII. Cap. XXVI. Dat et Malobathrum Syria arborem folio convoluto, arido colore, ex quo exprimitur oleum ad unguenta, fertiliore eiusdem Aegypto. Laudatius ex India venit. In paludibus ibi gigni tradunt, lentis modo, odoratius croco, nigricans, scabrumque, quodam salis gustu. Minus probatur candidum. Celerrime situm in vetustate sentit. Sapor eius nardo similis debet esse sub lingua. Odor vero in vino suffervefacti antecedit alios.*

Jam vero si Plinianam nardi descriptionem, quam supra dedimus, cum hac eiusdem auctoris de malobathro comparaveris, profecto reperies non una in re nardo malobathrum adsimilari; ut haud nimium iniuriose exagitandi illi videantur, qui ea fortassis similitudine decepti vel malobathrum nardi foleum existimarunt, vel foleum κατ' εξοχην de nardo sumse-

---

λευκον εν μελανιζειν (quidam μελαιζειν) αθραυστοντε, και ὁλοκληρον, πληκτικον τῃ οσμῃ, και επιδιαμενον τῃ ευωδια, ναρδιζον δε τῃ γευσει, ου μη αλμυριζον. τοτε αδρανες, και το λεπτοκοπημενον, ευρωτιωσαν εχον την αποφοραν, φαυλον.

runt. (1) Etenim nardi *radix nigra*, malobathri *vero nigricans*. Nardus *odoris gratia omnibus maior recentibus*; malobathrum *odoratius croco*, quod eodem teste Plinio, omnium aromatum odoratissimum est: imo, ut adfirmat Salmasius, hic ipse nardi odor malobathro perquam simillimus plerosque veterum fefellit adeo, ut malobathrum idem nardi foleum putarint. *Exercit. Plin. pag. 753. Similitudo odorum in utroque*, (malobathro scilicet, et nardo) *fecit, ut non secernerentur.* Nardus *situm redolet*; malobathrum *situm in vetustate sentit.*

---

(1) Qui defendunt malobathrum a foleo diversum illo potissimum argumento utuntur ad corroborandam sententiam suam, quod nempe apud Galen. in uno eodemque unguento malobathrini, et foliati mentio fiat, ut in libro *de locis*, et *de sanitate tuenda.* Verum respondent docti viri, non inde argui foleum a malobathro diversum esse, sed diversam fuisse huiusmodi unguentorum κατασκευην, et ad hanc διαφοραν indicandam alterum malobathrinum, alterum foliatum adpellatum esse. Sic et sampsuchini, et amaracini compositionem narrat Dioscorides, cum sampsuchum, et amaracus eadem sit planta. Cetera vide apud Theophr. *Histor. Plantar. Lib. IX. pag.* 1034 *cum notis* Johannis Bodaei e Stapel medici Amstelodamensis. *Amstel.* 1644.

In sapore denique conveniunt, siquidem *sapor eius*, idest malobathri, *nardo similis debet esse sub lingua*, quod et adfirmat etiam Dioscorides ναρδιζον δε τη γευσει. Quid quod una eademque utriusque vis, et facultas fuit? Testatur idem Dioscorides *loc. cit.* Δυναμιν δε εχει την αυτην τη ναρδῳ, ενεργεστερον δε εκεινη παντα ποιει. *Easdem cum nardo vires sortitur, sed illa efficacius omnia praestat.* Adcedit etiam Galenus *de facultate Simplic. Lib. VI.* Μαλοβαθρου φυλλον ναρδου σταχὺι παραπλησιον εστι την δυναμιν. *Malobathri foleum spicae nardi similem facultatem habet.* Porro qui Galenum secuti sunt, omnes citra comparationem malobathrum nardo *simillimum viribus dixerunt*, ut verbis Antonii Saraceni utar *Schol. in Diosc. pag. 4.* Hinc eodem teste Salmasio *pag. 735* pro nardo foleum substitutivum ponitur in αντιβαλλομενοις medicorum: αντι φυλλου σταχυς. Et alio loco αντι μαλοβαθρου κασιαν, η ναρδον Ινδικην (1).

---

(1) Alii ex viris doctis putant Indorum betre malobatrum esse, alii vero negant: itidem multi existimant in Syria, aut Aegypto nasci, multi in India ex arbore procera colligi. Vide Ioann. Saracenum in *notis ad Dioscor. pag.* 4. Sed hac in re adeo secum

Porro ex hoc foleo, sive malobathro exprimebatur oleum ad unguentum omnium odoratissimum, quod duplici quoque nomine vete-

---

invicem quanta maxima opinionum diversitate tum veteres, tum recentiores pugnant, ut nihil fortasse incertius, contentiosiusque in historia plantarum sit. Satis erit consulere unum Ioan. Bauhin. qui velut in tabula quadam sub uno oculorum ictu omnes omnium doctorum hominum varías de malobathro sententias exhibet *Histor. Plantar. Libr. IV. Cap. XI.* Posteriores tamen Linnaeo scriptores vetus malobathrum hodiernam Laurum Cassiam esse autumant, ut inter ceteros Exprangelius. *Histor rei Herbar. Tom. I. pag.* 258. *Parisiis, et Argentorati* 1809 cuius auctoritatem legi apud eruditissimum equitem Michaelem Tenore in Regia Studiorum Universitate Botanices professorem, virum in ea scientia facile principem, et clarissimorum operum luce exteris fortasse notiorem, quam suis. Quod vero sive foleum, sive malobathrum in eadem Studiorum Universitate adservatur, cuiusque mihi inspiciendi copiam fecit doctissimus medicus Vincentius Briganti in eodem Regio Archigymnasio materiae medicae Professor, lauri folio perquam simillimum non eam praesefert odoris suavitatem, quam et Dioscorides, et Plinius, et Geopon. praesertim auctor tantopere praedicant; nisi quod si eius extremum forte perfricaveris, tum vero nec magnus quidam, nec adeo iucundus odor tibi nares feriet.

res adpellarunt, foliatum, seu malobathrinum. Salmas. *Exercit. Plin. pag. 750. Foliatum unguentum, seu malobathrinum, Graecis* φυλλινον μυρος, η το μαλοβαθρινον. Idem *pag. 749. Haec duo genera unguenti spicatum, et foliatum multo in usu fuere Romanis, unde et nomina Latina retinuerunt Graeci.* Sic Ludovicus Cael. Rhodiginus *loc. cit.* Sarac. *in Diosc.* et passim alii. Plinius tamen huiusmodi unguentum nardinum vocat. *Libr. XIII. Cap. I. Foliatum, seu nardinum constat omphacio, balanino, iunco, nardo, myrrha, balsamo.* Hinc quidam non temere arbitrati sunt Plinium heic ex sua opinione locutum fuisse, qua, ut superius animadvertimus, foleum de nardo, non de malobathro intelligebat. Sed ut ut demus hanc coniecturam veram esse, quod autem certum est, foliatum hoc unguentum, seu malobathrinum ipsissimum nardinum erat. Etenim Dioscorides, qui utrumque describit, de nardino primum in haec verba fatur *Libr. I. Cap. LXXVI.* Ναρδινον μυρον ποικιλως σκευαζεται δια του μαλοβαθρινου φυλλου, και διχα τουτου. ὡστε πολυ μιγνυται τῳ βαλανινῳ ελαιῳ, η ομφακινῳ προς μεν στυψιν του ελαιου σχινος, προς δε την ευωδιαν, κοστος, αμωμον, ναρδος, σμυρνα, βαλσαμον.

Nardinum unguentum varie addito malobathri foleo, aut sine eo praeparatur. Ut plurimum autem balanino oleo, aut omphacino spissandi quidem causa iuncus odoratus admiscetur; ad odoris vero gratiam concilliandam costum, amomum, myrrham, balsamum addunt. Mox de malobathrino addit: το δε μαλοβαθρινον εχει μεν στυμματα, ἀ και ναρδος, σμυρνης δε πλεον: *Malobathrinum* (seu foliatum ex interprete) *eadem habet, quae nardinum, spissamenta, myrrhae autem pluscullum additur.* Ex quo sane factum est, ut non modo Plinius, sed illi etiam, qui foliatum idem ac malobathrinum esse existimarunt, haudquaquam tamen a nardino discreverint.

Jam vero varius erat huiusmodi seu malobathrini, seu nardini (nardinum inquam aeque ac malobathrinum; utraque enim ex eadem materia constabant, iisdemque rebus adcommodabantur) usus apud Romanos. Et primum quidem malobathro, sive nardo, idest malobathrino, sive nardino (siquidem nardus, et malobathrum saepissime pro nardino, et malobathrino, praecipue apud poetas) caput veteres ungebant. Sic Horatius *Lib. II. Od. VII.*

Pompei meorum prime sodalium,
Cum quo morantem saepe diem mero
Fregi coronatus nitentes
Malobathro Syrio capillos.

Idem *eodem Lib. Od. XI. ad Q. Hirpinum*

Cur non sub alta vel platano, vel hac
Pinu iacentes sic temere, et rosa
Canos odorati capillos,
Dum licet, Assyriaque nardo
Potamus uncti?

Sic idem Flaccus eodem sensu dixit *Epod. XIII.*

Achaemenia perfundi nardo iuvat etc. et alibi.

Alb. Tib. *Eleg. ad Cerinthum lib. II. Eleg. II.*

Illius e puro distillent tempora nardo,
Atque satur libo sit, madeatque mero.

Val. Mart. *Epigr. Lib. XI. LIX.*

Tinge caput nardi foleo, cervical olebit,
Perdidit unguentum cum coma, pluma nihil.

Vide et *Libr. III. LXV. ad Diadumenum. Lib. XIII. LI. Turdorum corona* etc.

Quod ad foliati nomen, semel hac eadem significatione ab eodem Valerio adhibitum memini *Libr. XI. XXVIII. ad Flaccum.*

At mea me libram foliati poscat amica (1).

---

(1) Neminem porro latet unguenta non modo apud Graecos, sed apud Hebraeos etiam in conviviis obtinuisse. Idcirco cum Maria Magdalene Sanctissimo Redemtori nostro pedes ungeret, Pharisaeo convivii domino obmurmuranti sane quam graviter is respondit. *Oleo caput meum non unxisti.* Graece autem Ελαιῳ την κεφαλην μου ουκ ηλειφας. Luc. *VII.* 46. Quo sane in loco Ελαιου nomine non simplex oleum intelligendum est, sed oleum odoribus temperatum, sive unguentum, ut sacri Interpretes Cornelius a Lapide, ceterique ad *cit. locum.* Atque ut id etiam obiter notem, ita profecto interpretari fas est Homeri Ελαιον, tum illud nempe αμβροσιον, εδανον, τεθυομενον, quo *amabile corpus* perunxit Iuno *Iliad. XIV.* v. 170. tum illud

Deinde foliati usus erat in poculis, ex recenti illa sequioris aevi consuetudine, qua ad delicias, et luxum unguenta vino immiscebantur. Mart. *Lib. XIV. CIX. ampulla potoria.*

ροδοεν, quo Hectoris cadaver illevit Venus *XXIII.* 186. Παροραμα enim illud Plinii ferendum vix videtur Iliacis temporibus non extitisse unguenta, et post Persas demum ab Alexandro devictos tum reperta, tum ad Graecos, Romanosque propagata esse. Vide *libr. XIII. Cap. I.* Equidem του μυρου nomen, quo ad unguenti significationem posteriores Homero scriptores usi sunt, Homero penitus ignotum fuisse non denegamus; sed certo certius aliunde constat et unguenta Homerum agnovisse, et non semel de iis per quam luculentam mentionem fecisse. Vide *Iliad. XIV. ver.* 38 *de Patrocli cadavere.* Vide etiam *Odyss. IV. v.* 445 et ad eum locum Scoliast. Vide Eustat. ad *Odyss. XVIII. v.* 159. Καλλεϊ στειλβων, et Eustathii verba apud eruditissimam Dissertationem Clarissimi, Doctissimique Viri Angeli Antonii Scottii Regiae Bibliothecae Praefecti, et Serenissimorum Principum Praeceptoris, cuius titulus se se habet: *Illustrazione di un vaso Italo-Greco del Museo di Monsignor Arcivescovo di Taranto.* Consule denique Athenaeum in *Libr. XV. Cap. II.* qui Homeri Ελαιον in hanc eamdem sententiam interpretatus est.

Hac licet in gemma, quae servat nomina Cosmi,
Luxuriose bibas, si foliata sitis.

Saepius tamen nardini nomen, quam fo!iati invenies. Sic apud Plaut. in *milit. Glor. Act. III. Scen. II.* Lucrio de Sceledro servo, qui nimium potus stertebat,

. . . . . *Tetigit calicem clanculum,*
Demisit nardini amphoram cellarius.

Vide Turneb. in *Advers. Lib. II. Cap. XXIX.* Vide etiam Salmasium in *adnot. ad cit. Plaut. locum.* Denique cum mos antiquitus obtinuerit, ut pretiosiores quique odores acervatim in rogum coniicerentur, mortuique ipsi, invalescente unguentorum usu, sive sepeliendi, sive comburendi essent, peregrinis quibusque liquoribus perfunderentur; malobathrum quoque, nardumque, utpote quae principem inter unguenta locum obtinebant, ad hosce usus adhibita potissimum fuisse nullo modo dubitare nos sinunt Cynthiae verba apud Propert. ubi de ea consuetudine neglecta queritur hoc versiculo *Libr. IV. Eleg. VII.*

Cur nardo flammae non oluere meae?

At enim quidnam tandem de foleo illo, quod Puteolanus Ordo lectissimae feminae Marcianae decrevit ? Equidem in id mea fertur opinio, ut existimem huiusce mulieris cadaver non Romano (etenim Romanorum plerique etiam tum cremabantur) sed Aegyptio ritu conditum tumulo fuisse, eique rei potius Decurionale foleum inserviisse, quam vel ut absumeretur in rogo, vel ut prodigeretur in uncturam corporis mox ipsius rogi flammis extinguendi ; quod ni fallor, ipsamet nostrae inscriptionis verba insinuare tacite videntur. Cum enim huiusce mulieris castitas plurimis, iisque amplissimis laudibus inculcetur, ut et *honestissima matrona*, et *incomparabilis*, et *sancta*, et *eximii pudoris*, et *admirabilis castimoniae* (quod quidem in matronis illius aevi tanquam novum quid, et miraculo proximum erat) dicatur ; profecto haud inverosimile videri poterit non ad alium usum a Puteolano Senatu decem libras folei publice dono missas eidem fuisse, quam ad castissimum eius corpus ornandum, servandumque Aegyptio ritu, Puteolanis quidem tum non ignoto, quin apud eos et frequentissimo, et commodissimo, prout infra opportunior erit edisserendi locus. Atque id quidem ipsum nec Romae insoli-

tum, nec praeter omnem omnino illius aevi consuetudinem putandum est, cum et Poppaea Neronis uxor, et Priscilla quaedam Abassantii coniux eodem modo, rituque tumulatae fuerint (1)

Verum illud in primis heic te monitum volumus, amice Lector, non eam scilicet mentem esse nostram, ut prorsus Aegyptio more, iis nempe institutis omnibus, quae Herodotus,

---

(1) De Poppaea quidem aperte Tacitus *Annal. Lib. XIV. Cap. VI. Poppaeae corpus non igni abolitum, ut Romanus est mos, sed regum externorum consuetudine differtum odoribus conditur, tumuloque Juliorum infertur.* De Priscilla vero Papinius *Sylv. Carm. I. vers.* 225.

Hic te Sidonio velatam molliter ostro
Eximius coniux, nec enim fumantia busta,
Clamoremque rogi potuit perferre, beato
Composuit, Priscilla, thoro: nil longior aetas
Carpere, nil aevi poterunt vitiare labores
Siccatam membris.

Vide Doctissimam Dissertat. in *Perrottin. Codic. Manuscript.* eruditissimi, amicissimique Viri Cataldi Jannellii, qui varios variorum temporum Romanos sepeliendi ritus adcurate prosequitur *pag. CCCX. et seqq.*

et Diodorus in *de Ægyptorum funere* abunde docent, huiusce mulieris ταριχευσιν peractam esse putemus. Quis enim inter tam densas antiquitatis tenebras id divinaverit? Cum igitur Aegyptio more Marcianam tumulatam dicimus, ea nimirum sententia nostra est, huiusce mulieris cadaver non igni absumtum, ut eorum frequentior temporum usus erat, sed pretiosissimo unguento delinitum ad diuturniorem tam casti corporis τηρησιν integrum, intactumque illatum tumulo fuisse, ex recepta Aegyptiorum consuetudine, quorum erat integra servare corpora odoratis quibusque liquoribus a putredine vindicantibus perfusa. Et quidem Iudaei a Cornelio dicuntur Aegyptio more corpora condere *Histor. Lib. V. Cap. V.* cum tamen Iudaica corporum procuratio longe ab Aegyptia tumulatione distet, etsi illi etiam et ungueuta funderent, et institas quoque, sive fasciolas ad obligandos mortuos adhiberent(1).

---

(1) Ita quidem Ioan. de Divini Reparatoris corpore *Cap. XIX.* 39. *Venit autem Nicodemus, . . ferens mixturam myrrhae, et aloes, quasi libras centum. Adceperunt ergo corpus Iesu, et ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudaeis sepelire.* De Lazaro autem *Cap. XI.* 44. *Et statim*

Eodem igitur pacto sese Marcianae tumulationem habuisse putamus, ut nempe odoribus, unguentisque referta non Romano, sed Aegyptio ritu composita fuerit, eique tumulationis generi Puteolanus ordo foleum suum adcommodaverit, quippe quod non modo principem inter unguenta locum obtinebat, sed ad huiusce etiam conditurae usum aptissimum erat. Etenim cum certum sit ex Diodoro *Lib. I. Cap. XCI.* Aegyptios homines delinire mortuos solere το μεν πρωτον κέδρια, και τισιν αλλοις επιμελειας αξιουσιν, επειτα σμυρνη, και κινναμωμῳ, και τοις δυναμενοις μη μονον πολυχρονιον τηρησιν, αλλα και την ευωδιαν παρεχεσθαι, idest, *unguento primum ce-*

---

prodit, qui fue rat mortuus ligatis pedes, et manus institis. Huiusmodi porro *institae*, Graece κειριαι, ex dissecta particulatim sindone redigebantur. Hinc Marcus de eodem sanctissimo Servatore *Cap. XV.* 46. *Ioseph autem mercatus Sindonem, et deponens eum involvit in Sindone munda.* Luc. *Cap. XXIII.* 53. *Et depositum involvit in Sindone.* De sepulchralibus hisce fasciolis e Sindone dissectis, quas τελαμωνας σινδωνιτας adpellabant Graeci, mentionem iniicit etiam Herod. in *Cap. LXXXVI.* Sed de hac re tota vide Mazoch. *Dissertat. II. ad Marc. XIV.* 52. 55. *Spicileg. Biblic. Tom. III. pag.* 91. *Tum dissertat. de Christi Sindone, ac Sudario Cap. II. III. IV. Tom. II. pag.* 149. *et seqq.*

drino, *aliisque quibusdam*, *tum myrrha*, *ac cinnamomo*, *aliisque huiusmodi*, *quae scilicet non ad diuturnum quoque tempus servarent corpora*, *sed suavissimam quoque iis fragrantiam adspergerent*; cumque foliatum constet *balanino*, seu *omphacino*, *iunco*, *costo*, *amomo*, *nardo*, *myrrha*, *ac balsamo* (vide *laudatos Plinii*, *et. Dioscoridis locos*) idest oleis, odoribusque non longiori tantum conservationi, sed etiam fragrantiae aptis, ut modo loquitur Diodorus; quis non videt, quam idoneum natura sua fuerit ad propiorem, facilioremque Aegyptii funeris imitationem? Atque ut singulas hasce species adcuratius enucleemus, haud praetergrediendo tamen propositae nobis brevitatis terminos, multa de balano, eiusque odore veteres tradiderunt, quibus in inferiorem paginam ablegatis, (1) ne te properantem,

---

(1) Et primum balanus illa, ex qua balaninum ad unguenta aptissimum exprimebatur, ad aliarum differentiam βαλανος μυρεψικη, sive μυροβαλανος, idest *glans unguentaria* vocata fuit. Aëtius *Libr. I.* βαλανος μυρεψικη, ἣν μυροβαλανον ονομαζουσι. *Balanus myrepsica, quam myrobalanum nominant.* Apud Galenum vero mentio μυροβαλανου tum saepe alibi, tum potissi-

Lector, detineamus, perpauca tantum heic Galeni verba interseremus ad eius vim, ac natu-

---

mum iniicitur *Libr. XIII. de Methodo medendi.* Notus etiam Martialis versus *Epig. LVII. Libr. VI.*

Quod nec Virgilius, nec carmine dixit Homerus
Hoc ex unguento constat, et ex balano.

De illa ait Teophr. *Lib. IV. Cap. II.* του καρπου τοις κελυφεσι χρωνται οι μυρεψοι κοπτοντες, ευωδες γαρ τι εχει, ὁ δε καρπος αυτου αχρειος. *Fructus putaminibus utuntur unguentarii minutim ea concidentes: habent enim quid odoriferum, fructus autem ipse omnino inutilis.* Idem Teophr. *Libr. de Odoribus* sic fere scribit de oleo ex amygdalis amaris. Φασι δε και εις τα σπουδαια των μυρων αρμοττειν, ὡσπερ και το εκ του βαλανου, και τουτο ποιει δε κελυφη αυτων ευοσμα εις το ελαιον εμβαλλομενα, επει και τα των πικρων. *Ferunt et unguentis pretiosis adcommodum esse, ut etiam balaninum; illud redditur odoratum a putaminibus in oleum iniectis; idem putamina amygdalae praestant.* Ita quidem interpretatur Teophrastum Ioan. Budaeus *pag.* 298. quidquid alii dicant. Dioscorides vero *Libr. IV. Cap.* LX. ita de balano ait: βαλανος μυρεψικη...του δε εντος θλιβομενον, ὡσπερ τα πικρα αμυγδαλα, εξιησιν ὑγρον, ὡ εις τα πολυτελη μυρα αντ' ελαιου χρωνται. *Glans unguentaria*

ram pertinentia *de Facul. Simplic. Medicament. Lib. VI.* Βαλανος μυρεψικη νομιζεται μεν εκ της βαρβαρου γης, μεμικται δε τι στυψεως αυτη, και δια τουτο ρυπτικην τε αμα, και τμητικην, και συναπτικην τε, και πλητικην εχει την ενεργειαν. *Balanus myrepsica, id est glans unguentaria adfertur ex barbarica regione. Admista est quaedam adstrictio. Proinde extergentem simul, et incidentem, et contrahentem, et stipantem effectum possidet.* Juncus vero frutex est olentissimus, quemadmodum adserit Plinius, ut nardum penitus adsimilaverit. Vide *Libr. XXI. Cap. XIII.* et quaedam illius species κατ' εξοχην iuncus odoratus adpellabatur, de quo idem tum *Libr. XII. Cap. XXII.* ubi calamo odorato eum aequiparat, tum eo capite a nobis laudato, ubi illius species, copiam, usus, et medicinas enumerat. Hunc quidem iuncum odoratum in foliati compositione requirit Dioscorides. De costo autem mira sunt, quae praedicant tum Plinius *Lib. XXI. Cap. XXIV.* et alibi, tum Dioscorides *Lib. I. Cap. XV.* qui extremo loco addit πολυτελεστατοις των μυ-

---

.... *cuius nucleus amygdalarum amararum more tusus, pressusque liquorem reddit, quo in pretiosa unguenta pro oleo utuntur.*

ραν μιγνυναι *pretiosissimis unguentis commisceri*, cuiusmodi certe extitit foliatum. Porro nihil heic amomi fragrantiam commendare opus est, cum et ipsa res nota sit omnibus, et cuivis pateant Latinorum Scriptorum loci, qui illius etiam usum in liniendis mortuis apud Romanos frequentissimum adstruunt (1). Illi etiam quamdam vim adstringendi, exsiccandique tribuit Dioscorides *Lib. I. Cap. XIII.* Δυναμιν δε εχει

---

(1) Iuvenalis *Satyr. X. v.* 103.

Et matutino sudans Crispinus amomo,
Quantum vix redolent duo funera.

Tum Ovidius *Trist. Libr. III. Eleg. III.*

Ossaque cum foliis, et amomi pulvere misce:
Inde suburbano oondita pone solo.

Quo quidem loco illud obiter notandum foliorum nomine non quaecumque folia intelligenda esse, ut parum apte nonnulli putant, tum quod folia cum amomis coniungit Ovidius, idest, cum odoratissimo aromatis genere, et in conservandis cadaveribus mirifico, tum quod mos erat defunctorum ossa, et eorum praecipue, qui procul a patria fatum obibant, non sive foliis, sive frondibus quibuscumque, sed fragrantissimis odoribus, herbisque perfundere. Vide Kirchmann. *De Funer. Roman. Libr. III. Cap. VI. VII. et seqq.*

θερμαντικην , στυπτικην , ξηραντικην. *Vim habet excalefaciendi , adstringendi , et exsiccandi.* Galenus autem amomo eamdem acori facultatem tribuit , de qua haec inter cetera scribebat *Lib. VI.* Δηλον δε, οτι ξηραντικον παντως εστι. *Omnino siccificam esse , clarum est.* Idem intellige de nardo , cuius mira odoris fragrantia satis superque elucet et ex iis , quae supra attulimus , et ex iis , quae mox dabimus. Illud tantummodo huiusce loci esse videretur , ut eius ad rem nostram vim , usumque indicaremus , quod tamen brevi conficit Dioscorides haec de facultate nardi inter cetera edisserendo. *Lib. I. Cap. XI.* Δυναμιν δε εχουσι θερμαντικην , ξηραντικην , ουρητικην. *Vim habet calefaciendi , exsiccandi , urinasque ciendi.* Denique de myrrha , ac balsamo tanta sunt , tamque diserta veterum testimonia , quae eorum tum fragrantiam , tum mirificam servandi corpora vim depraedicant , ut tua , Lector , benignitate abuti existimarer , si tam nota in re diutius te morarer. Illud tantummodo piaculum foret praeterire , adeo nimirum vim myrrhae probatam fuisse Ægyptiis ipsis , ut inter Ægyptia corporum medicamenta primum illi locum tribuant Herodotus , ac Diodorus (*Loc. cit.*) tum ex

balsami adfluentia potissimum factum esse, ut totus huiusmodi condiendi ritus nomen identidem desumserit. En igitur foleum nostrum ex iis τοις δυναμενοις μη μονον πολυχρονιον τηρησιν, αλλα και την ευωδιαν παρεχεσθαι, *quae scilicet non longiori tantum conservationi, sed etiam fragrantiae apta erant.* Quidni igitur ad ungendum, conservandumque Aegyptio more cadaver locus foleo esse poterat? Immo quod re ipsa fuerit, Divina ipsa manifeste Veritas testata est, cum obmurmurantes Magdalenae discipulos reprehendit, ubi illa in domo Pharisaei unguentum nardi pistici pretiosi in suum caput effuderat. Matth. *XXVI. 10. Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me: mittens enim haec unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Atque id disertius alii etiam Evangelistae docent (1).

---

(1) Sic Ioannes *XII. 3. Maria autem adcepit libram unguenti pistici pretiosi, et unxit pedes Iesu, et extersit pedes eius capillis suis; et domus impleta est ex odore unguenti.* Mox v. 7. *Dixit ergo Iesus: Sinite illam, ut in diem sepulturae meae servet illud.* Marc. *XIV. Et cum esset Bethaniae in domo Simonis leprosi, et recumberet, venit mulier habens alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi,*

Iam vidimus nardum pro nardino dici solitam, nardinumque ipsum idem ac malobathrinum es-

---

et fracto alabastro effudit super caput eius. Tum *vers.* 6. *Iesus autem dixit: Sinite eam, quid illi molesti estis? Bonum opus operata est in me. . . . . Quod habuit, haec fecit: praevenit ungere corpus meum in sepulturam.* Porro non parum incommodat interpretibus illud Ioannis *pistici*, Graece πιστικης, ut alii alia ad eius vim vocabuli declarandam excogitarint, non tamen ευστοχως, ut videtur. Hieronymus quidem pro *pistici* arbitratur legendum *mystici*. Augustinus nardum *Pisticam* adpellatam nescio a quo loco existimat, ex quo deinde in Iudaeam, aliasque terras invehebatur. Tandem Cornelius a Lapide, ut ceteros praetermittam, in haec verba opinionem suam profert. *Videntur Graeci Latinam Spicati vocem corrupisse, et corrupte per Metathesin, sive litterarum transpositionem pronunciasse* πιστικη, *sive quod hoc pronunciatu facilius esset, ac suavius, (unde Graecis difficile est pronunciatu spicati, imo ipsi nullum habent nomen aut verbum, quod post sp habeat Cappa) sive quia non intelligebant* το *spicati, sive quia* το πιστικης *magis adcedit ad Graecorum* πιστις *idest fides. Pro* σπικατης *ergo vel* σπικητης, *dixerunt* πιστικης, *unde et unus manuscriptus codex apud Ioannem habet Spicati* Sed, pace tanti Viri dicam, haec argumentatio puerilis est. Vidimns enim Graecos ipsos spicati vocem adeo non corrupisse, ut iisdem prorsus litteris in patrium sermonem exscripserint: σπικατον μυρον, και φουλικατον. Praeterea optimi Graeci Scripto-

se, seu foliatum : item vidimus cum Cornelio Judaeos Aegyptio ritu mortuos condidisse, quan-

---

res hanc eamdem nardi spicam vel σταχυν simpliciter, vel ναρδοσταχυν dixerunt, prout, Salmasio teste, in veterum medicorum libris non raro occurrit, et Cornelius ipse non diffitetur. Quapropter e recenti doctorum hominum opinione illud *pistici* Graece πιστικης nihil aliud, quam fidelis notat, quodque nos planius dicere solemus *Sincerus*, *non mixtus*. Cum enim Plinio teste *Libr. XIII. Cap. XII.* plurimis modis vera nardus adulterari posset, Sanctus scriptor, ut et Mariae pietatem, et doni praestantiam commendaret, nardum illam πιστικην fuisse ait, h. e. *veram*, *non adulteratam*. Porro cum huiusce generis Indica nardus apud veteres extiterit, quae quidem sola spicata est, manifeste patet, cur Marcus illud πιστικης interpretatus fuerit *Spicati*. Sic quidem Salmas. *Exerc. Plin. pag. 750.* Mihi tamen placet eruditissimi Mazochii verba laudare, qui ad illa *Deuteron. Plagas magnas, et perseverantes XXIX. Hebraice*, inquit *pro perseverantes, et perpetuas est* neemantoh i: e: *fideles, sive potius veras. Idipsum valet Graecis* αληθινος, *ut notavi ad Evangelia, eo enim spectat* ναρδος πιστικη *Marc. XIV. et Ioann. XII. Cui Evangelii loco consentiunt, qui heic posuerunt* νοσους πονηρας, και πιστας. *Pro* πιστας, *et pro Hebraico neemanoth usurpare vulgus Italorum solet veraci, ac* μεταφορικως *ubi ab eodem vulgo adpellatur Sementivum di Semenza.* Vide *Spicileg. Bibl. Tom.II. pag. 3.* In ci-

quam Judaicus sepeliendi mos non idem omnino cum Aegyptia tumulatione erat. Nil igitur vel absurdum, vel a veritate prorsus alienum diximus, cum Marcianam nostram ex Aegyptia consuetudine tumulatam diximus, pretiosissimo ad id unguenti genere adhibito, quod et maxima vi pollebat exsiccandi, servandique cum suavi quadam fragrantia mortuos, et in huiusce generis condituris non raro locum obtinuerat. Atque eo vel magis in hac nobis sententia

---

tato autem Evangelii loco in haec verba fatur. *In speciebus* το πιστον, *sive* πιστικον *distinguitur a* νιβδηλω (*hoc est adulterino*) *Cuiusmodi vini et* αληθινος *habet saepe apud Ioann. in Evangel. et in Apocalyps.* Vide *Spicileg. Bibl. Tom. III. pag.* 197. Vide etiam Harduin. *in notis ad Plin. Cap.* XII. *de arista, seu spica nardi.* Atqui ne nova prorsus huiusmodi apud Evangelistas nardi distinctio fortasse aliquibus videatur, animadvertendum est etiam bonos Latinitatis Scriptores eam διαφοραν saepe adnotasse. Sic, ut ceteros brevitatis gratia praetermittam, Tibull. *Lib. II. Eleg. II v.* 7. de Genio loquens.

Illius e puro distillent tempora nardo.

Ubi doctissimi interpretes το *puro* pro *non adulterato* positum scribunt.

stare certum est, quod plurima nobis argumenta confirmant Puteolanos perquam saepissime hanc mortuos tumulandi μεθοδον tenuisse, perpetuo fortasse usu, qui illis erat cum Alexandrinis, aliisque Aegyptiis, stabilitam; qua de re locupletissima nobis adsunt veterum omne genus scriptorum testimonia (1). Sed pleraque

(1) Puteolanos, Alexadrinosque ultro citroque commercia exercuisse, res tam nota est, ut argumentis, exemplisqne non indigeat. Nos pauca tamen ad reficiendam tibi, lector, memoriam proferemus, praesertim cum ex eis non parva lux patriis nostris antiquitatibus adcedat. Et de Puteolanis quidem mercatoribus Alexandriae passim, ac per totam Africam negotiantibus, vel una vetus inscriptiuncula olim nescio cui adfixa parieti, nunc Eruditissimi Praesulis cura in *Divi Francisci* atrium translata testis est locupletissima.

L. CALPVRNIO. L. F. C. CALPUR
NIO. L. F
CAPITOLINO
MERCATORES. QVI. ALEXANDR
ASIAE. SYRIAE
NEGOTIAN

Quam quidem inscriptionem non Alexandrini, Asiatici, et Syri mercatores Puteolis inhabitantes, ut parum apte nonnulli putant, sed negotiatores Pu-

antiqua monumenta, quae nostris hisce oculis usurpavimus, rem ipsam tam claro in lumine

---

teolani illis in regionibus mercium permutandarum causa commorantes in grati animi monumentum Calpurniis posuerunt, quemadmodam opportune sentit Cataldus Iannellius *Dissert. in Perrottinum Codicem M. S. pag. 246.* Alexandrinos vero Puteolos confluentes praeter cetera plenissime demonstrat hic Geographi locus ex *Libr. XVII. pag. 793.* Ταυτη εκκομιζομενα εξ Αλεξανδρειας πλειω των εισκομιζομενων επτι· γνοιη δ' αν τις εν τῃ Αλεξανδρειᾳ, και τῃ Δικαιαρχειᾳ γενομενος ιδων τας ὁλκαδας εν δε τῳ καταπλῳ, και εν ταις αναγωγαις ὁσον βαρυτεραι τε, και κουφοτεραι δευρο, κᾳκεισε πλεοιεν. *Exportari ex Alexandria plura, quam ex Italia importari facile sentiet, qui Alexandriae, et Puteolis fuerit, observaveritque onerarias naves et venientes, et recedentes quanto graviores, aut leviores ultro, citroque navigent.* Idem auctor *Lib. III. pag.* 145. Africanarum ὁλκαδων nostram hanc urbem celebrantium multitudinem hisce verbis indicare videtur. Την δε αφθονιαν των εκκομιζομενων εκ της Τουρδιτανιας εμφανιζει το μεγεθος, και το πληθος των ναυκληρων, ὁλκαδες γαρ μεγισται παρα τουτων πλεουσιν εις την Δικαιαρχειαν, και τα ὠστια της Ρωμης επινειον· το δε πληθος μικρου δειν εναμιλλον τοις Λιβυκαις. *Abundantiam vero eorum, quae Turditania exportantur, navium multitudo, et magnitudo indicat, maximae enim onerariae naves inde ad Dicaearchiam, et Ostia, quod est Romae navale, advehuntur, itaque multiplicatae sunt, ut nu-*

constituunt, ut nullum prorsus dubitationi locum relinquant. Nam ab eo loco, ubi nostrum

---

mero iam Africis fere aequentur. Seneca etiam ἐμφατικοτερως. *Epist. VII. Subito*, ait, *nobis Alexandrinae naves adparent, quae praemitti solent, et nuntiare secuturae classis adventum, tabellarias vocant. Gratus illarum Campaniae adspectus: omnis in pilis Puteolanorum turba consistit, et ex ipso genere velorum Alexandrinas quamvis in magna turba navium intelliges.* Insignis quoque locus est Suet. de Augusto valetudinis causa circumeunte Campaniae oram *in eius vita Cap. XCVIII. Forte Puteolanum sinum praetervehenti vectores, nautaeque de navi Alexandrina, quae tunc quidem adpulerat, candidati, coronatique, et thura libantes fausta omina, et eximias laudes congesserunt: per illum se vivere, per illum navigare: libertate, atque fortunis per illum frui. Quare admodum exhilaratus quadragenos aureos comitibus divisit, iusque iurandum, ac cautionem exegit a singulis non alio datam summam, quam in emptionem Alexandrinarum mercium absumturos* Porro exteri huiusmodi negotiatores Puteolos confluentes in suas quisque stationes divisi erant; sub quo nomine intellige quasdam veluti coloniarum species, quas principes urbes vertendarum mercium causa in loca non sua, sed negotiatoribns opportuna immittebant. Et de Tyria quidem statione indubium nos testem habemus, Tyriorum nempe ipsorum Puteolana in statione degentium epistolam ad Senatum patrium

monumentum latebat, usque ad Anianum lacum dextrorsum, ac sinistrorsum innumera

---

conscriptam, cuius vel solum initium eamdem hanc rem mirifice confirmat: Διὰ τοὺς θεοὺς, καὶ τὴν τοῦ Κυρίου ἡμῶν τύχην, εἰ καὶ τις ἄλλη στατιῶν ἐστι Ποτιολοῖς, ὅσον Πλείονες ὑμῶν ἴσασι, καὶ ἡμετερα καὶ κοσμῳ, καὶ μεγεθει των αλλων διαφερουσα. *Diis, ac Genio Domini nostri Imperatoris bene iuvantibus: si qua alia statio Puteolis est, quae ceteris splendore, ac magnitudine praestet, profecto (nam complures vestrum norunt) ea nostra est.* Cum igitur dicant, *si qua alia statio* etc. manifeste innuunt non eos solos negotiandi causa Puteolis consistere, quod et observavit eruditissimus Ignarra in *de Buthys. agone Puteolano pag.* 229. Et quidem apud Capacinm *Hist. Neapol. Lib. II. pag.* 309. Ignar. *loc. cit.* aliosque quamplurimos legitur haec inscriptio Puteolis olim reperta.

IMP. CAESARI

. . . . . .

IEROPOLITANI
PERITENSES
QVI. PVTIOLIS. CONSISTVN

Cum igitur Alexandrini ceteris frequentiores ad hanc nostram urbem adfluerent, profecto dubitare non possumus Alexandrinam stationem prae ceteris exsplenduisse; cumque Puteolani ipsi et saepe Alexandriam pergerent, et diutius ibi negotiandi causa com-

hypogaea detecta sunt, ibique sita cadavera omnino integra, atque incorrupta, tanquam si paucis abhinc diebus tumulo defossa fuerint. Quod autem maxime tuetur opinionem nostram, huiusmodi cadavera interius vacua, exterius vero arida, et dura sunt, intacta corporis totius specie, ut ipsam fere loquentem imaginem Aegyptiorum cadaverum praeseferant. Et nuper potissimum in eo tramite, qui sinistrorsum ad *Divi Januarii* ducit, vulgo *Vigne*, amplissimum hypogaeum detectum est, belle concameratum (quod tamen eius praedii dominus, ad vitandos, ut ipse aiebat, curiosae plebeculae rumores, noctu terra rursum, et lapidibus obruit) ubi tum plurimos arcuatos loculos cum cinerariis urnis inspeximus, tum integra duo soliorum vestigia cum integris cadaveribus observavimus. Cum vero ea contrectare ad magis, magisque rem firmandam e re nobis visum fuisset, exteriorem quandam duritiem na-

---

morarentur, pronum est suspicari Aegyptium tumulandi morem facillime nostros edidicisse, eumque si minus in vulgaribus, certe in paulo splendidioribus funeribus usurpasse; praesertim si cuius virtuti, ac dignitati singulare quoddam publice elargiri praemium vellent.

cti sumus, et cutem veluti exsiccatam : qua fracta, vacua intus omnia, et levi tantum adspersa pulvere deprehendimus. Ibidem in sinistro quodam pariete haec inscriptiuncula reperta est, nescio qua Numinis providentia e temerariis fossorum ictibus servata. Litterae integrae omnes, quanquam carbone notatae, inter duas lineas et ipsas integras inclusae pulchrum de se spectaculum praebebant.

ONOMASTO. IONIO

VIXIT. ANNIS. XX. OBIT

M. IVNIO. SILANO. L. NORBANO

COSS

AMOR. CONSERVI

Quis igitur prohibere nos a coniectando potest persaepe Aegyptio more Puteolanos corpora tumulasse, cum facillimum eis fuerit et illum ab Aegyptiis, quibuscum adsidue versabantur, morem addiscere, et indidem etiam quam minimo sumtu ea unguentorum genera exportare, quibus suos illi ipsi mortuos curabant ?

CAPUT III.

De praenominibus, nominibusque Consulum, qui in altera marmoris facie notantur.

Cum multa sint meo iudicio, ob quae monumentum nostrum non parvam eruditorum gratiam inibit, tum hoc arbitror imprimis, quod duorum Consulum praenomina, ac nomina densissimis huc usque tenebris sepulta nitidissima in luce collocavit. Et quidem norunt omnes, quantum docti viri adlaboraverint, ut ea divinarent. Baronius sane, cum diu, multumque investigasset, nihil se certi reperisse adseruit. Vide *Annal. Tom. II. pag. 340. ad ann. Chr.* 189. Huic addendus est Panvinius, qui improbabili coniectura Tul-

lium alterum, alterum Papirium dixit in *Fastor. Lib. II.*

Imper. Caes. M. Commodo Anton. P. Aug. Germ. Sarm. Britann. P. M. Trib. Pot. XII. Cons. V. P. P. Imper. VIII. Tullius Crispinus et Papirius Aelianus.

Mox. Crispinus, et Aelianus *consules deinde fuerunt iisdem auctoribus. Spartianus in vita Didii Juliani Imperatoris cuiusdam Tullii Crispini meminit, quem Julianus Praefectum Praetorii fecit. Papirii Aeliani superius ex marmore mentionem fieri vidimus.* Joannes Crispinus in *Aurelii Cassiodori Consules pag. 444.* quod ad primum Consulem, eiusdem opinionis fuit, ac Panvinius, ipsissimum ei nomen adtribuendo, eumdemque Spartiani locum cellaudando. Pagius in *critic. ad Baron.* nihil ea de re pronuntiare voluit, id tantummodo profiteri contentus, horum consulum sola cognomina ex quibusdam Gruteri lapidibus nota esse. Vide etiam Caroli Sigon. *opera omn. Tom. I. Mediol. 1731 Fastorum Continuatio pag. 713* qui omnium retro-chronologorum auctoritatem refert, ex qua tamen nihil confici posse quod ad propositam nominum quaestionem adfirmat. Sed nimirum nostri marmoris decus id erat tam diu expe-

tita nomina patefacere, novamque lucem affundere consularibus fastis, ne hac quoque in re nostrae expectationi, et votis litteratorum deesse videretur. Sic igitur stabilienda sunt Crispini, et Aeliani consulum nomina, quemadmodum in nostro lapide notantur.

L. BRUITIO. CRISPINO
L. ROSCIO. ÆLIANO. COSS

Porro his exploratis, certissima est nostrae inscriptionis εποχη. Cum enim illi consulatum gesserint anno Chr. 187. Victoris Pontificis II; Commodi vero Imperatoris VIII; (numquam enim vel ante, vel post duo consules iisdem cognominibus reperiuntur) luculenter patet eo ipso anno elogium nostrum consignatum fuisse.

CAPUT IV.

De duobus Antonini operibus Puteolos spectantibus.

Quemadmodum Romae, ita et in iis civitatibus, quae ad Reipublicae Romanae normam regebantur, iam antiquitus mos ille obtinuerat, ut nullibi fere publica consilia, quam in sacris Deorum aedibus haberentur. Itaque Puteolani Decuriones ad decernendos Marcianae honores in Divi Pii convenerunt: quod templum profecto ob praeclara Antonini in hanc nostram civitatem merita positum eidem fuisse a maioribus nostris in grati animi monumentum, haud inepto quidem ex hac ipsamet inscriptione coniicere possumus argumento. Atque hac nimirum occasione peropportunum mihi videtur aliquantulum heic immorari, duo-

*

que praestantissima huiusce imperatoris opera nostram hanc urbem pertinentia patriarum rerum amatoribus inspicienda subiicere.

Et ut pauca primum de Antonino ipso generatim praemittam, a nostra tamen epigraphe non aliena, Divi praenomen consecutus est Antoninus ceterorum Principum more, qui post obitum sollicitante adulationis studio αποθεωθεντες divinis honoribus colebantur. Illud tamen in Antonini αποθεωσει tamquam luculentissimum ipsius virtutis testimonium singulare fuit, quod cum plerique, ut Tiberius, Caligula, et recenti memoria Adrianus aegre divinitatem a Senatu ob sua flagitia obtinuerint, Antonino rursus summa totius ordinis voluntate ultro etiam delata fuerit, quemadmodum aperte testatur Capitol. *in eius vita, Capite ultimo. A Senatu Divus est adpellatus cunctis certatim adnitentibus, cum omnes ipsius pietatem, ingenium, clementiam, sanctimoniam laudarent; decreti sunt etiam omnes honores, qui optimis principibus ante delati sunt.* De Pii autem cognomento, quo ante, et post mortem hic imperator raro exemplo cohonestatus est, plura referunt historiographi, quorum locos cuicumque commodum erit inspi-

cere , in subiectis notulis reperiet. (1) Ut igitur de Antonini operibus ad nos spectantibus edisseramus , primum quidem nostris oculis sese obiicit magnificentissimum illud templum Numini Adriani patris dedicatum. Etenim cum hic Princeps apud Baias supremum diem obiisset, primum Antoninus in villa Ciceroniana (2) eum tumulandum curavit,

---

(1) Spartian. in *Adrian. Cap. XXIV. Antoninus quidem Pius idcirco adpellatus dicitur , quod socerum fessum aetate manu sublevarit, quamvis alii cognomentum hoc ei dicant inditum , quod multos Senatores Adriano iam saevienti eripuisset , alii quod ipsi Adriano magnos honores post mortem decretulisset.* Capitolin. in *Anton. vita Cap. II. Pius cognominatus est a Senatu, vel quod socerum fessum iam aetate, praesente Senatu , manu levaverit. . . vel quod eos , quos Adrianus per malam valetudinem occidi iusserat , reservarit , vel quod quum se Adrianus interimere vellet , ingenti custodia , et diligentia fecit, ne id posset admittere , vel quod vere natura clementissimus nihil temporibus suis asperum fecit.* Vide etiam Mazoch. in *Camp. Ampith. titulum pag.* 76.

(2) De hac villa Ciceroniana audiendus est Plinius , qui elegantissime eam describit. *Histor. Libr. XXXI. Cap. I. Digna memoratu villa est ab Averno Lacu Puteolos tendentibus imposita litori, celebrata*

narrante Spartiano *in Adrian. Cap. XX. Invisusque omnibus sepultus est Puteolis in villa Ciceroniana.* Id autem eo consilio molitus est,

---

porticu, et nemore, quam et vocabat M. Cicero Academiam, ab exemplo Athenarum, ibi compositis voluminibus eiusdem nominis, in qua et monumentum sibi instauraverat, ceu vero non in toto orbe terrarum fecisset. Huius in parte prima, exiguo post obitum ipsius, Antistio vetere possidente, eruperunt fontes calidi perquam salubres oculis, celebrati carmine Laureae Tullii, qui fuit e libertis eius, ut protinus noscatur etiam ministeriorum haustus et illa maiestate ingenii. Ponam enim ipsum carmen dignum ubique, et non ibi tantum legi.

Quo tua Romanae vindex clarissime linguae,
Silva loco melius surgere iussa viret:
Atque Academiae celebratam nomine villam
Nunc reparat cultu sub meliore Vetus.
Hic etiam adparent lymphae non ante repertae,
Languida quae infuso lumina rore levant.
Nimirum locus ipse sui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes cum patefecit ope.
Ut quoniam totum legitur sine fine per orbem,
Sint plures oculis qnae medeantur aquae.

In hac villa M. Tullium Tironem amantissimum Ciceronis libertum usque ad centum annos consenuisse scribunt Eusebius, et Isidorus, ibique tribus libris eiusdem Ciceronis vitam fuisse complexum testatur

ut apud Senatum de αποθεωσει Adriani eiusdem agere posset, qui illius memoriae infensissimus *acta eius irrita fieri volebat*, adeo ut *nec adpellatu sesset Divus, nisi Antoninus rogasset*: sunt eiusdem Spartiani verba *Cap. XXVII.* Postquam igitur id obtinuit Antoninus, Adriani reliquias e loco movit, ut ceterorum Principum more Romam deportarentur, mox eodem in situ amplissimum ei templum posuit. Primum narrat Capitol. in *Anton. Cap. V. Adriano apud Baias mortuo reliquias eius Romam pervexit sancte, et reverenter, atque in hortis Domitiae collocavit.* Alterum Spartian. in *Adr. Cap.* XXVII. *Templum denique ei pro sepulchro apud Puteolos constituit.* Porro ad magis, magisque Patris memoriam cohonestandam ludos etiam, ac Sacerdotes instituit, qui in honorem defuncti Principis sacra facerent, et debita eum religione *quasi numen* prosequerentur. Testatur idem Spartian. in *Adrian.*

Ascon. Pedian. Hodie dum adparent magnificentissimae molis vestigia, quae *Scuole di Cicerone* vulgo ab incolis adpellantur, in quibus demirandis adeo exteri defixi haerent ; nisi quis commodius existimaverit ea, quae visuntur, rudera, non Ciceroniani praedii, sed Adrianalis templi reliquias esse.

Cap. XXVII. Quinquennale certamen constituit, et flamines, et sodales, et multa alia, quae ad honorem quasi Numinis pertinerent. Huiusmodi quinquennale certamen ευσεβεια cognominatum fuit a Pii constitutoris nomine potius, quam Αδρειανεια, quemadmodum ex perpetua illorum temporum consuetudine adpellandum fuisse docet Salmasius. Vide eius verba ad *cit. Spartian. loc.* De hisce ludis ευσεβιακοις luculentissimum testimonium reddit Artemidorus *Cap. XXVIII.* Οιδα τινα σταδιεα, ὃς μελλων αγωνιζεσθαι ευσεβεια τα εν Ιταλια αχθεντα ὑπο βασιλεως Αντωνινου επι τῳ πατρι Αδριανῳ εδοξε τυφλος γεγονεναι. *Vidi quemdam, qui cum stadio certaturus esset in Pialibus ab Imperatore Antonino in Italia constitutis ad Adriani patris memoriam, visus est caecus repente fieri.* Vide Scaliger. *de Emendatione Tempor. Libr. V. pag. 477.* Mentio huius agonis inest quoque in veteri quadam inscriptione Graeca, ubi nobilis agonista, et palmarum quamplurimarum victor eos ludos, unde praemia reportarat, singillatim enumerans, vicisse se ait: Ευσεβεια εν Ποτιολοις δις, *bis Pialia Puteolis.* Huiusmodi porro agon honoris, ac dignitatis ergo sacer, atque iselasticus ab

Antonino eodem renuntiatus fuit, testante id litterato quodam marmore Melphis reperto, sed Puteolis utique non abiudicando, ut opportune advertit Gruter. *pag. CCIV.* Scalig. *de emend. Temp. Libr. V. pag. 477.* Capac. *Histor. Neapol. Libr. II. pag. 334.* Casaub. *ad August. Scriptor.* Salmasius *ibidem*, et passim alii

IMP. CÆSARI. DIVI. TRAIANI
PARTHICI. NEPOTI. D. NER
VÆ. PRONEP. ÆLIO. ADRI
ANO. ANTONINO. AUG. PI
O. PONT. MAX. TRIB. POT
V. IMP. II. P. P. CONSTITUTO
RI. SACRI. CERTAMINIS (sic) SE-
LASTICI. SOCII. POPULARES. LI-
CTORES. DENUNCIATORES
PUTEOLANI

Jam vero sacra certamina, seu iselastica ceteris nobiliora erant, et illorum tantummodo dignitati communicabant, quae a Graecis ἱεροὶ ἀγῶνες, καὶ εἰσελαυστικοὶ adpellabantur; magnae quidem famae, ac celebritatis non modo apud Graecos ipsos, ubi magnificentissimo adparatu, et totius fere orbis concursu committebantur,

sed et apud universas gentes, quae summa veneratione, et cultu huiusmodi victores sacros prosequebantur. Hinc in Sibyllinis carminibus iselasticum certamen magnum κατ' αυτονομασιαν vocatum est.

Μεγας γαρ αγων εσελαστικος εσται

Ea de re Romani ipsi Imperatores ubi aliquos a se ludos vel institutos, vel instauratos ornare vellent, ad Graecorum imitationem sacros eos, atque iselasticos pronuntiabant. (1) Eiusmodi igitur fuere Pialia ab Antonino Puteolis instituta ad Adriani patris memoriam cohonestandam: quae quantae celebritatis extiterint per ea tempora, praeter laudatum Artemidori locum, et geminas, quas memoravimus, inscriptiones, luculenter indicant quamplurimi marmorei tituli apud Gruter. praesertim, qui *pag. CCCXIV.* Ευσεβεια εν Ποτιολοις, και

(1) Hujusce generis fuere Actiacum certamen, Traiani epinicia, et Σεβαστα, sive Augustalia Neapoli, de quibus postremis copiosissime disserit vir antiquitatis patriae studiosissimus Nicolaus Ignarra in *Commentar. de Palaest. Neapolitan. Diatrib. in*

Σεβαστα εν Νεαπολει, *Pialia Puteolis, et Augustatia Neapoli* peracta refert.

Alterum porro magni momenti opus, quod Antonini munificentiae debent Puteolani, famosissima illa pilarum instauratio fuit, ab Adriano Imperatore olim promissa. Testatur id praeter mutilam quamdam inscriptionem olim in arcu marmoreo praefulgentem, quem in grati animi signum Antonino erexerant maiores nostri, pulcherrimum aliud marmor anno MDLVII e mari, quo obruebatur, feliciter emersum, cui tum nostrae civitatis Sexviri decentiorem in urbe sedem, ubi nunc extat, ad aeternam posteritatis memoriam adsignandam curarunt.

IMP. CÆSAR. DIVI. ADRIANI
FIL
DIVI. TRAIANI. PARTHICI. NE
POS
DIVI. NERVÆ. PRONEPOS. T
ÆLIVS
ADRIANVS. ANTONINVS. AVG
PIVS
PONT. MAX. TRIB. POT. II
COS. II. DESI

GNAT. III. P. P. OPVS. PILARVM VI MARIS. COLLAPSVM. A. DI-VO. PATRE SVO. PROMISSVM. RESTI-TVIT

Porro hae pilae, de quibus nostri lapides loquuntur, nihil aliud erant, nisi quaedam immensae moles in altum prope litus iactae, quales hodie dum conspiciuntur, ad portum communiendum, firmandum que. (1) Strabo eas pilas ὁρμους

(1) Nihil facilius fuit Puteolanis, quam pilas huiusmodi conficere ex laudatissimo pulvere illo, de quo heic Strabo mentionem iniicit. Plinius etiam *Lib. XXXV. Cap. XIII. Verum*, inquit, *et ipsius terrae sunt segmenta. Quis enim satis miretur pessimam eius partem, ideoque pulverem adpellatum in Puteolanis collibus opponi fluctibus, mersumque protinus fieri lapidem unum inexpugnabilem undis, et fortiorem quotidie utique, si Cumano admisceatur caemento?* Senec. *Quaestion. Natural. Lib. III. Cap. XX. Puteolanus pulvis si aquam attingit, saxum est.*

adpellavit *Libr. V. pag.* 245, cujus verba non abs re erit heic proferre. Ἡ δε πολις εμ-

---

Vitruvius praesertim abunde de eo loquitur variis in locis, et praecipue *Lib. II. Cap. VI. Est genus pulveris, quod efficit naturaliter res admirandas. Nascitur in regionibus Baianis, et in agris municipiorum, quae sunt circa Vesuvium montem, quod admixtum cum calce, et caemento non modo ceteris aedificiis praestat dignitatem, sed etiam moles, quae construuntur in mari, aqua solidescunt.* Hinc cum artem fabricandi portus edoceret, huiusce pulveris usum inculcavit ad construendos praesertim aggeres, pilasque, quibus aperta litora sinuarentur. Vide *Lib. V. Cap.ult.* Et quidem nihil fere antiquitus harum molium construebatur, quin e nostris Puteolis repetere-tur admirabilis hic pulvis, quemadmodum pluribus possem ostendere. Plinius quidem de Augustaeo portu verba faciens *Libr. XVI. Cap. XL. Ibi demersa est*, inquit, *Agyptia navis a Claudio Principe tribus molibus turrium altitudine aedificatis, ob id Puteolano pulvere advecto.* Sidonius etiam Apollinaris *Carm. Lib. II.*

. . . . . *itur ad aequor*
Molibus, et veteres tellus nova contrahit undas.
Namque Dicarchaeae translatus pulvis arenae
Intratis solidatur aquis, durataque massa
Substinet advectos peregrino in gurgite campos.

πορειον γεγενηται μεγιστον, χειροποιητους εχουσα ὁρμους δια την ευφυιαν της αμμου, συμμετρος γαρ

Atque ut de ceteris sileam, Pontanus *Lib. de Magnif. Cap. II.* Constantinum Augustum e litore Baiano Puteolanum pulverem navibus comportandum iussisse scribit, quo moles Byzantina firmior evaderet. Ita quidem Capac. *Histor. Neapol. Libr. II. Pag.* 321.

Illud autem memorandum de hisce pilis occurrit, quod nempe de Caligula narrat Suet. *Cap. XIX. Novum praeterea, atque inauditum genus spectaculi excogitavit. Nam Baianum medium intervallum Puteolanas ad moles trium millium, et sexcentorum fere passuum ponte coniunxit, contractis undique onerariis navibus, et ordine duplici ad anchoras collocatis, superiectoque aggere terreno, et directo in Appiae viae formam. Per hunc pontem ultro, citroque commeavit biduo continenti.* De hac Caligulae insania copiosissime disserit Dio Cassius *Lib. LIX*, qui totam illius vanitatis historiam prolixe persequitur. Γαιος δε εκεινης μεν της πομπης ουδεν προετιμησεν, δια της θαλασσης τροπον τινα διιπευσαι επεθυμησε γεφυρωσας το μεταξυ τωντε Πουτεολων, και των Βαυλων. *Verum Caius pompam illam nihili fecit, et per mare quodam modo vehi intendit, ponte iniecto ei maris parti, quae est inter Puteolos, et Baulos.* Addidit praeterea, antequam pontem ingrederetur, sacrificasse Neptuno, et φθονῳ, ne qua scilicet opprimeretur invidia. Xiphilinus aliam περιστασιν adnectit: αναπαυλας εν αυτῃ, και καταλυσεις, ὡς τε και ὑδωρ αυτας ποτιμον επιρ-

εστι τῃ τιταναῳ, και κολλησιν ισχυραν, και πηξιν λαμβανει. διοπερ τῃ χαλικι καταμιξαντες την αμμονιαν προβαλλουσι χωματα εις την θαλατταν και κολπουσι τας αναπεπταμενας ἡιονας, ὡστ᾽ ασφαλως ενορμιζεσθαι τας μεγιστας ὁλκαδας. *Urbs ea* (idest Puteoli) *in maximum emporium evasit, habens stationes manufactas ob naturalem opportunitatem arenae: haec enim pro-*

ρυτον εχειν, *nimirum habitationes, et diversoria aedificasse, ita ut aquam potabilem praeterfluentem haberent.* Porro variae fuerunt causae, cur insanissimus hic imperator novum istud, et laboriosum opus molitus sit. Eas omnes complectens Suetonius *eodem Cap. Scio*, inquit, *plerosque existimasse talem a Caio pontem excogitatum aemulatione Xersis, qui non sine admiratione aliquando angustiorem Hellespontum contabulaverit: alios ut Germaniam, et Britanniam, quibus imminebat, alicuius immensi operis fama territaret. Sed avum meum narrantem puer audiebam causam operis ab interioribus aulicis proditam, quod Thrasillus mathematicus, anxio de successore Tiberio, et in verum nepotem proniore adfirmasset non magis Caium imperaturum, quam per Baianum sinum equis discursurum.* Cetera ad huiusce pontis dedicationem spectantia vide sis apud Suetonium in *Cal. Cap. XXXII.* Dion. *Lib. IX.* Phil. *Iud. De Legatione ad Caium, et* Ioseph. *Antiquit. Iudaic. Lib. XVIII. Cap. I.*

portione respondens calci firmam admodum conglutinationem, et concretionem adcipit. Idcirco glaream miscentes coemento ex calce, et arena confecto aggeres promovent in mare, et apertas litoris partes siniuant, ita ut subduci tuto possint maximae onerariae naves. Quando autem hae pilae primum iactae fuerint, incertum est apud omnes. Profecto si pilae illae portum communiebant, necesse est earum originem fuisse vetustissimam, et ipsius pene Dicaearchiae fundationi coaevam. Quod autem certum est, laboriosissimum hoc pilarum opus cum vi maris corrosum magna ex parte concidisset, cumque Adrianus eam, quam dederat illas instaurandi fidem, morte interveniente, liberare non potuisset, Antoninus Pius paternae non minus potestatis, quam voluntatis haeres restituit. Vide *cit. Inscript.*

CAPUT V.

De Politico Puteolorum statu.

Cetera, quae sequuntur, explanatione non indigent. Vocato enim Senatu in Divi Pii, cum de decernendis Marcianae honoribus Duovir retulisset, summa totius ordinis voluntate in eius sententiam itum est. At unum tantummodo occurit ad speciem quidem facile, re autem vera impeditissimum, quod veluti crucem nobis fixit. Etenim vocabulum *Duovir* nota quaedam sequitur, mutila illa quidem, ac semirasa, sed ita ut facile ab omnibus discerni possit, siquidem eius vestigia certissimam *M* praeseferunt, prout ex quamplurimis aliis litteris eamdem formam obiicientibus nullo negotio quis arbitrabitur. Cum igitur *M* inibi legendum sit, quicumque eam implere notulam, vocemque integram reponere coniiciendo vellet, nihil fortasse aptius ad rem crederet, quam to *M* mu-

nicipium interpretari. Verum quando hic titulus positus fuit, Puteoli non municipium, sed colonia erant. Cum enim a Nerone, teste Tacito *Annal. Lib. XIV. Cap. XXVII.* ius, et cognomentum coloniae obtinuissent, in ea πολιτειας forma perpetuo dein conquievere, nec ullum vetus monumentum hactenus reperiri datum est, in quo de politica urbis immutatione post Neronis imperantis aetatem vel unum verbum deprehenditur. Quin contrarium lucnlentissime adstruitur: in plerisque enim latinis titulis ante, et post lapidem hunc nostrum scriptis Puteoli aperte colonia dicuntur, prout mox opportuniori loco a nobis fusius disputabitur. Interea ut tota haec quaestio adcuratius in re praesenti excutiatur, variaeque doctorum hominum opiniones *de Politico Puteolorum statu* proferantur simul, et severiori critica diiudicentur, altius repetendum opus videtur, et ab ipsis fere Puteolorum incunabulis exordiendum. Atque ut illud sane quam difficillimum praetereamus, quando scilicet, et a quibus Puteoli aedificati fuerint, quibusque artibus deinde in tantas opes, nomenque creverint, quippe quod argumentum nostrum non id iure suo postulare videtur; hoc tantummodo e re iuvabit animad-

vertere, nihil aliud Puteolos origine sua extitisse, nisi επινειον Κυμαιων, *navale Cumarum* Strabone teste *Lib. V. pag. 245*, atque Dicaearchiae nomine vocatos esse. Cum igitur επινειον Cu marum Dicaearchia esset, ea regiminis forma administrari oportuit, quae in principe urbe, sive Cumis, per ea tempora obtinebat (1). Atque is fuit civitatis status usque ad alterius belli Punici aetatem; tum

---

(1) Quandoquidem Puteolanae res ita cum Cumanis nectuntur, ut alterae sine alteris nosci nequeant; me nihil a proposito alienum facturum reor, amice lector, si quaecumque ad Cumanam πολιτειαν spectant, tibi seorsim heic percurrendo proponam. Cumas Italiotidum Coloniarum antiquissimam a cognomine Chalcidis Euboicae urbis nomen, atque originem derivasse Pausanias, aliique scriptis prodiderunt. Vide Capac. *Lib. II. Cap. XX.* Floruere iam inde ab initio domi, militiaeque opibus non obscuris. Hinc ab Umbris, Daunisque, et maxime Etruscis saepe bello petitae, tandem in teterrimam servitutem incidunt, Aristodemo urbem occupante, ad quem Tarquinius cum exulibus Romanis venit, fortasse Cumanas opes periclitaturus, quando Etruscas iam fractas viderat, ibique tandem diem obiit supremum, narrante Livio *Lib. II. Cap. XXI.* Hunc cum varios post conatus tyrannide expulissent Cumani, ad priscam famae, imperiique gloriam creverunt, ut totius Italiae potentissimi haberentur, si fides habenda

enim cum multa Italiae oppida ad duram Praefecturae conditionem aRomanis adacta fuissent, in eo

---

est Halicarnassensi, qui *Antiq. Rom. Lib. VII. Cap. XI.* ita scribit. Ην γαρ ἡ Κυμη κατα ἐκεινους τους χρονους περιβοητος ανα την ὁλην Ιταλιαν πλουτουτε, και δυναμεως ενεκα, και των αλλων αγατων, γηντε κατεχουσα της Καμπανων πεδιαδος την πολυκαρποτατην, και λιμενων κρατουσα των περι Μισηνων επικαιροτατων. *Cumae enim illis temporibus tota Italia celebres erant ob divitias, et potentiam, et alia bona: quod totius Campani agri fertilissimam partem possiderent, et opportunissimos circa Misenum portus haberent.* Inter eos igitur sive portus, sive navalia Dicaearchia fuit, de quo Graeco nomine, deque Puteolorum etymologia consule tum Fest. in *voce Puteol.* tum Strabon. *Libr. V. pag.* 245. tum Varron. *Lib. IVde L. L.* tum Ignarram in *de Palaestra Neapolit. Part. II. Cap. V. pag.* 195. *et Cap. IV in Athletic. Inscript. pag.* 185. tum Marcellum Scottium in opusculo, cui titulus *Dissertazione corografico — istorica delle due antiche distrutte città Miseno, e Cuma ec. Neapoli* 1778 *pag.* 104, et 107 Hoc rerum statu a Campanis invidis Cumanae gloriae obsessa, captaque urbs fuit anno a Rom. cond. 335. Ita Livius *Libr. II. Cap. XL. Eodem anno a Campanis Cumae, quam Graeci tum urbem tenebant, capiuntur.* Altum deinde de Cumis in historia silentium est usque ad aunum 417. quo post debellatas Latinorum opes cum de singulorum populorum conditione Furius consul retulisset, inter cetera tum a

numero Dicaearchiam etiam comprenhensam esse, testis est Festus in voce *Praefectura. Praefecturarum genera fuerunt duo, in quas so-*

Senatu decreta haec habentur. Liv. *Lib. VIII. Cap. XIV. Campanis equitibus honoris causa, quia cum Latinis rebellare noluissent, Fundanisque, ac Formianis, quod per fines eorum tuta, pacataque semper via fuisset, civitas sine suffragio data. Cumanos, Suessulanosque eiusdem iuris, conditionisque, cuius Capuam esse placuit*, At cuius iuris, conditionisque tum Capua erat? Livius quidem in earum urbium catalogo, quibus tum vel civitas pro fide data, vel ager pro perfidia ademptus, Capuam urbem tacet, Campanorum tantummodo equitum meminit, quibus honoris causa, quia cum Latinis rebellare noluissent, civitas sine suffragio data fuit. Atqui absurdum est opinari vel Capuam suorum equitum conditionem secutam, cum rebellionis signum ipsa sustulerit, vel in laudato Patavini loco equites pro urbe positos esse. Cum autem constet a Velleio anno ab urbe condita 421. T. Veturio Calvino, et Sp. Postum. Consulibus, Campanos cum parte Samnitum civitatem nactos esse sine suffragio *Lib. I. Cap. XIV.* una resolvendi nodum ratio erit, si suspicemur Livium κατα προληψιν antevertisse, quod postea factum fuit, nisi quis forte probabilius censeat ei penitus conditionem Capuae excidisse, quam veluti si antea indicasset, mox subdit, *Cumanos, Suessulanosque eiusdem iuris, con-*

lebant ire Praefecti quatuor ex viginti sex virûm numero, qui populi suffragio creati erant in haec oppida Capuam, Cumas, Ca-

---

ditionisque, cuius Capuam esse placuit. Quidquid autem de hoc Cumarum iure per ea tempora fuerit, anno ab V. C. 539 latum ad populum narrat Livius, ut municipes Cumani essent *pridie, quam populus Campanus a Romano populo defecisset. Lib. XXIII. Cap. XXXI.* Huiusce autem beneficii rationem in eo fortasse invenies, quod cum ad Annibalem Capua defecisset, in Romana fide Cumae perstiterunt; id, quod luculentius patet ex eiusdem scriptoris, quae mox succedit, narratione, ubi fuse prosequitur varia Campanorum tentamina, ut rem Cumanam suae ditionis facerent: quae cum iis minus prospere cessissent, primum sollicitatos Cumanos, ut a Romanis desciscerent, postremo eos dolis capere adorti sunt. Livii locus prolixior est, quam ut heic locum habere possit: consule, si lubet *Lib. XIII. Cap. XXXV. et seq.* Haec autem gesta sunt anno ab U. C. 539 Hactenus nullum de Puteolis apud Latinos historicos verbum est, nimirum, quod nondum secreti a Cumis, unde orti erant, eamdem cum principe urbe πολιτειαν habebant. Vix exacto altero Punico bello, Puteoli, Cumaeque separatim censentur in earum urbium numero, quas sub Praefecturae iugum a Romanis actas narrat Festus loco superius recitato: quod permirum de Cumis alicui videri poterit, si quae modo retulimus de Cuma-

silinum, *Vulturnum*, *Linternum*, Puteolos, *Acerras*, *Suessulam*, *Atellam*, *Calatiam*; *alterum*, *in quas ibant*, *quos Praetor urba-*

---

norum fide animadvertet, cum adeo periculosissimis temporibus Romanae rei adhaeserint, ut praemii loco municipes facti fuerint. Ad hanc fere aetatem Cumanorum illa legatio revocanda est, de qua Livius *Lib. XL. Cap. XLII.* ubi narrat: *Cumanis anno* (scilicet ab U. C. 570. A. Postumio Albino, C. Calpurnio Pisone Coss.) *petentibus permissum, ut publice latine loquerentur, et praeconibus latine vendendi ius esset.* Atque in eo statu usque ad sociale bellum Cumas perseverasse vicinarum urbium exempla dubitare nos haud sinunt, Puteolorum praesertim, ac Capuae, quibus non nisi ea tempestate restituta tandem libertas fuit. De Cumani vero municipii post bellum Marsicum conditione, eo inclinat sententia nostra, ut prorsus *Fundanum* fuisse putet. Ita enim suadere videntur verba Tullii *II. in Rullum*, ubi Cumas cum Atella, Neapoli, Pompeiis, Nuceria (municipiis utique *fundanis* ex Mazoch. *Com. in Tab. Heracl. Part. III. pag.* 492) coniungit orator, interea dum Puteoli *in sua potestate erant*, *suo iure*, *libertateque fruebantur*, *idest* civitatis Romanae privilegiis suam αυτομολιαν praetulere. Vide, quae disseruimus *ad laud. Tulii locum supra recit.* Ad Cumani profecto municipii εποχην spectat Capacianus lapis *Lib. II.* pag. 255.

nus quotannis in quaeque loca miserat legibus, ut Fundos, Formias, Caere, Venafrum, Allifas, Privernum, Anagniam, Frusinonem, Reate, Saturniam, Nursiam, Arpinum, aliaque complura. Ita quidem legit inquinatissimum hunc Festi locum Mazoch. *Commentar. in tab. Heracleens. pag. 394.* Id autem pror-

---

PILUMMO. SANCTISSIM. GENIO. MUNICIPI SACRUM. P. JUBENTIUS ACHARIUS. II. VIR

Denique post victum ad Actium Antonium inter duodetriginta colonias ab Augusto deductas, ut victori militi gratificaretur, Cumae etiam comprehensae fuerunt, narrante Frontino: *Cumae muro ducta colonia, ab Augusto deducta. Iter populo debetur pedes XXX. Ager eius in iugeribus veteranis pro merito est assignatus iussu Claudii Caesaris.* Illud unum corollarii loco heic addam Cumas nativam Graecitatem suam haud penitus exuisse, etiam cum Latinis immixtae perpetuo Latinorum commercio uti coeperint; quod multi lapides litterati testantur, inter quos eminet elegantissimum epigramma in illis viciniis effossum, atque ab eodem doctissimo Praesule in eodem Pseydourbano suo Seminario collocatum. Ceteras omnes posterioris aevi Cumarum vices fuse narrat Capacius, quem consule, si lubet in *Lib. II. pag.* 239, *et seq.*

sus factum est sub anno Urb. DXLII prout Velleius de Capua testatur *Lib. II. Cap. XLIV.* Vide Mazoch. in *Amphith. Campan. pag. 5. 15.* Dum in eo statu maneret Dicaearchia, ecce tibi Romanorum coloniam adcepit, atque tum demum ex Strabonis sententia factum est, ut abrogato veteri Graeco nomine, Puteoli transnominata fuerit. Sic ille *Lib. V. pag. 245.* Ἦν δε προτερον μεν επινειον Κυμαιων επ' οφρυος ιδρυμενον. Κατα δε την Ηννιβα στρατειαν συνῳκισαν Ρωμαιοι, και μετωνομασαν Ποτιολους. *Fuit antiquitus navale Cumarum Dicaearchia extructum in supercilio litoris. Sed sub tempus Annibalicae expeditionis eo Coloniam deduxerunt, urbique* Puteolos *nomen indiderunt.* Id autem accidit annō ab U. C. DLI. secundum Sigonianos fastos, L. Cornelio, et P. Villio Consulibus, ut refert Liv. *Lib. XXXII. Cap. VII. Multis claris petentibus viris creati Censores P. Cornelius Scipio Africanus, et P. Aelius Paetus. Hi magna inter se concordia et Senatum sine ullius nota legerunt, et portoria venalium Capuae,* Puteolisque *item Castrorum portorium, quo in loco nunc oppidum est, fruendum locarunt: colonosque eo trecentos (is enim numerus finitus ab senatu erat)*

adscripserunt. Vide eruditissimum auctorem *Dissertat. Isagog. ad Herculanensium voluminum explanationem Part. I. Cap. VIII. pag. 43.* Vix elapsis duobus ab hac deductione annis, eodem narrante Livio *Cap. XXIX. C. Acilius tribunus plebis tulit, ut quinque coloniae in oram maritimam deducerentur, duae ad ostia fluminum Vulturni, Linternique, una* Puteolos, *una ad Castrum Salerni, his Buxentum adiectum. Tricenae familiae in singulas Colonias iubebantur mitti. Triumviri deducendis iis, qui per triennium magistratum haberent, creati M. Servilius Geminus, Q. Minucius Thermus, T. Sempronius Longus.* Sed hae coloniae nonnisi tertio post anno deductae fuerunt, ut idem *Liv. Lib. XXXIV. Cap. XLV. Scipione Africano iterum, et Sempronio Longo Consul: Coloniae civium Romanorum eo anno deductae sunt* Puteolos, *Vulturnum, Linternum, trecenti homines in singulas: item Salernum, Buxentumque coloniae civium Romanorum deductae sunt.* De hac Puteolana colonia mentionem iniecit etiam Velleius *Lib. I. Cap. XIV. Eodem temporis tractu, quamquam apud multos ambigitur,* Puteolos, *Salernumque, et Buxentum missi*

coloni. Vide Ignarram *De palaest. Neapolitan. Diatrib. in caput V. in notis num.* 6. *pag. 134.* Auctor. *Dissertation. Isagog. Part. I. Cap. VIII. pag. 49.* Secutum est Sociale bellum, in quo omnium fere Italicarum civitatum conditio immutata fuit. Sub ipsa etenim belli initia, idest anno Urb. DCLXIII L. Julius Caesar legem tulit, qua sociis in fide manentibus civitatem tribuit: mox anno DCLXV. anctoritate senatus, sive lege aliqua consulari cum ceteris populis Italicis civitas communicata fuit, praeter Lucanos, atque Samnites; quibus tamen haud multo post, ut penitus consopirentur cruentissimi belli favillae, idem beneficium delatum fuisse narrat Appian. I. *εμφυλ. pag. 382.* Vide *Epitom. Livian. LXXX.* Mazoch. *Commentar. in Tabul. Heracleens. Part. III. pag. 489.* Atque per ea quidem tempora Puteolanam πολιτειαν, sicut et Cumarum, multarumque praeterea ex Romanis Praefecturis immutatam fuisse, nullo modo dubitare nos sinunt veterum monumentorum gravissimae auctoritates. Verum Puteolana illius aevi respublica alia prorsus a ceteris Campanis civitatibus fuisse videtur. Cicero enim aperte seiungit in *II. Agrar. Cap. XXXI. Dixi antea lege*

permitti , ut quae velint municipia , quas velint veteres colonias colonis suis occupent : Calenum municipium complebunt , Theanum oppriment , Atellam , Cumas , Neapolim , Pompeios , Nuceriam suis praesidiis devincient. Puteolos *vero, qui nunc in sua potestate sunt , suo iure , libertateque utuntur , totos novo populo , atque adventitiis copiis occupabunt.* Hinc quidam non male autumant , Puteolos etiam post communicatam Italicis populis civitatem in veteri praefectura mansisse , tandemque a Sylla impetrasse , ut aequo iure ceterarum urbium Italicarum essent , siquidem de eo narrat Plutarchus decem ipsis ante obitum diebus Puteolanorum dissidia composuisse, iisdemque leges dictasse , quibus gubernarentur. Sed nimis fortasse iniquum videri id poterit , et Puteolanorum quoddam in populum Romanum non mediocre crimen indicatur , qui cum Lucanis ipsis , et Samnitibus sociorum bellantium pertinacissimis iam ab anno DCLXVI , aut non multo post civitatem donasset , Puteolanos in veteri incommodissima praefectura reliquerit usque ad ann. DCLXXV, vel DCLXXVI, quo fato functum fuisse Syllam adcepimus. Ego potius suspicarer , Puteolanos post celebrem

illam legem Juliam, qua ita sociis, ac Latinis civitas est data, ut qui *fundi populi facti non essent*, quemadmodum inquit Tullius *pro Cornel. Balbo Cap. VIII.* id est, qui *in legum Romanarum tabulas non iurarent*, prout interpretatur Mazoch. *Commentar. in Tab. Heracleens. Part. III. pag. 473*, et alibi, civitatem non haberent, ab aliarum plurimarum urbium exemplo discedentes civitatis Romanae privilegiis suam αυτονομιαν praetulisse, ideoque Tullium Puteolos a ceteris secrevisse, ut diceret: *Puteolos vero, qui nunc in sua potestate sunt, suo iure, libertateque utuntur ecc:* Quod sane ut eveniret, magna oppidanorum contentione factum oportuit, cum alii pro civitate, legibusque Romanis, alii pro suo iure, ac libertate starent: cuius contentionis exempla non desunt et de aliis urbibus, eodem Cicerone narrante in *eadem Corneliana* post citata verba: *In quo magna contentio Heracliensium, et Neapolitanorum fuit, cum magna pars in iis civitatibus foederis sui libertatem civitati anteferrent.* Atque huiusmodi populare certamen diu inquietam urbem tenuisse putandum est, usque dum abdicata Dictatura illuc Sylla concesserit; quem auctoritate sua et oppidanorum

dissidia composuisse , et ut omnis in posterum tumultuandi occasio praecideretur , vel a se , vel ab incolis rogatum certum aliquem legum pandecten conscripsisse indicare videntur Plutarchi verba in *Sylla* Δεκα ἡμερας εμπροσθεν της τελευτης τους εν τῃ Δικαιαρχειᾳ στασιαζοντας διαλλαξας, νομον εγραφεν αυτοις , καθ' ὁν πολιτευσονται. *Decem ante exitum diebus Puteolanorum dissentionibus compositis scripsit eis leges, quibus rempublicam haberent.* Etenim sic omnia belle procedunt : constat nimirum ratio , cur Puteolos a Cumis , aliisqne urbibus discernat Cicero , utpote qui per ea tempora (id enim το *nunc* significat , et quaevis alia particulae interpretatio απροσδιονυσος videtur) in sua adhuc potestate erant , suo iure , libertateque utebantur , (quam nempe praelegerant , denegando in legem Juliam , sive in eximium aliquod Romanarum legum digestum *fundos* fieri) et multa lux affundetur Plutarcho narranti de conciliatis per Syllam Puteolanorum animis, legibusque datis , quibus rempublicam moderarentur. Utrum vero in eo statu Puteoli perseverarint , an ad aliarum urbium exemplum municipium *fundanum* evaserint , aeque ut omnes ignoramus. Certe Tullius generatim municipium vocavit in *Orat.*

pro Coel. Cap. II. Nam quod est obiectum municipibus esse adolescentem non probatum suis, nemini unquam praesenti Puteolani (1)

---

(1) Nec facit, qnod obiicit Garatonius, multique interpretes praeterea, scilicet *Puteolanos* nullo modo ferendum hoc loco esse, aut aliter de Puteolana republica sentiendum., cum fas non esset ei, qui civis Romanus non fuisset, honores Romae capere; quod aliter quidem M. Coelio contigisse narratur. Si enim tum, inquiunt, Puteoli *αυτονομα* erant, si Romanae civitatis iuribus suarum legum libertatem praetulerant, quomodo Coelius pater ex eo municipio oriundus eques Romanus esse poterat, filiusque ipse mox ad Aedilitatem Romanam, Praeturamque adrepsit? Verum haud difficilis responsio est. Primum enim fieri potuit, ut Puteoli ex *αυτονομιᾳ* ad civilitatem Romanam concesserint, ceterarum vicinarum urbium exemplo, quarum populi fundi fieri gestiebant ob eximium quoddam Romanae civitatis ius, ac dignitatem. Sed ne hanc politicam oppidi mutationem Garatonio haud probabilem urgeamus, quis prohibere nos ab opinando potest, Coelios Puteolis oriundos Romam demigrasse, ibique et Romanam civitatem, et Romanae civitatis iura nactos esse? Quid facilius eo tempore, quo per legem Juliam tam late diffusa, ac propagata Romana civitas fuit, ut fere civis Romanus esset nemo, nisi qui nollet? Ita duplex Caeliorum patria fuit, alia scilicet naturae, in qua nimi-

maiores honores habuerunt, quam absenti M. Coelio. Et paulo post: *Neque enim vobis satis commendata huius aetas esse posset, si non modo parenti tali viro, verum etiam municipio tam illustri, ac tam gravi displiceret.* Cum eo iure fruerentur Puteoli, nova illuc militaris colonia ab Augusto deducta fuit. Ita Frontin. *Puteolos Coloniam Augustam Augustus deduxit. Iter uno latere populo debetur*

---

rum nati, ut loquitur Mazochius ad *Ciceron. II. de Legibus. Cap. I.* alia civitatis, quam sua virtute adepti erant. Vide *Tabul. Heracleens. part. II. pag.* 323. Quod non Coeliis modo, sed multis praeterea illustribus viris per ea tempora contigisse ex hac eadem Tullii oratione docemur, ubi plures lectissimos viros et equestris ordinis, et Senatorii, utique Puteolanos, ad illud iudicium publice legatos cum gravissima, atque ornatissima Coelii laudatione missos refert orator: Id porro nullo erat impedimento, quin hosce viros, de quibus maxime sibi placebant municipia, et suosmet cives adpellarent, et omnibus suis honoribus ornarent. Exempla suppetunt ὁσα κονις. Illud vero vix ferendum, quod in *laudato Tullii loco* pro *Puteolanos* alii substituunt *Praetorianos*, alii, si Diis placet, nescio quos *Praetutianos*. Vide. Marc. Tull. Ciceron. *Orat. cum Gasparis Garatonii notis. Tom VIII. Neap.* 1787.

pedes XXX. ager eius in iugeribus veteranis, et tribunis legionariis est adsignatus. Denique a Nerone, teste Tacito, *Ann. Lib. XIV. Cap. XXVII. Vetus oppidum Puteoli ius, et cognomentum coloniae adipiscuntur.* Atque heic nimirum est, cum haeret aquâ eruditis. Si enim Puteoli iam ab altero bello Punico colonia erant, et si paucis ante annis ab Augusto coloniam adceperant; quomodo non tantum ius, sed cognomentum coloniae a Nerone adepti esse dicuntur? Pighius, ut primo ictu difficultatem excidat, novum quoddam ius coloniae commiscitur, quod Puteolos a Nerone impetravisse contendit. Vertranius primum quidem ingenium sibi in hac quaestione defecisse fatetur, mox Puteolos novo quodam cognomine a Nerone donatos putat, ut exinde Neroniana colonia adpellarentur. Vide *Tacit. cum not. Var. Libr. XIV. Cap. XXVII.* Nicolaus vero Ignarra impeditissimam hanc de Puteolano Reipublicae statu controversiam ingressus, tum quidem alibi, tum praesertim in *Athletic. inscription. Cap. VI. pag.* 220. ita eam extricavit. *Cum Puteoli iam inde ab initio colonia extiterint, et praedicarentur, difficile erat adsequi conjectura, eccur a Nerone tandem ius, et co-*

gnomentum coloniae impetrasse Tacito dicantur. At vero quaestio facile componi poterat, si fuisset animadversum, Puteolos in aliam subinde, atque aliam Reipublicae formam concessisse ad similitudinem aliarum civitatum, quae praesentem statum exosae ex iure coloniae, municipiique ad libertatem, et contra, prout libitum fuit, commeabant. Itaque Puteoli ab Annibalicis ad Syllana tempora, et a Neronis imperatoris aetate, ac deinceps in iure coloniae conquievere: illo vero medio tempore, quod a Syllana tempestate ad Neronis imperium excurrit, libertatem suarum legum civitatis Romanae privilegiis praetulerunt. Sed nimis a scopo viri doctissimi aberrarunt. Nam ut de Taciti interpretibus taceam, qui absurdis penitus commentis difficultati occurrere adnixi sunt; libertatem hanc mutandi pro arbitrio πολιτειαν, et ex coloniarum, vel municipiorum iure ad proprias leges commeandi, Ignarra unus propinare sibi potest, praeterea nemo: maxima enim Populo Romano, cuius leges eiurandae erant, inferebatur iniuria. Quapropter difficilis hic nodus una, ut arbitror, ratione expediri potest, quam nempe reperit fortunatissime pro ea, qua pollet, singulari iudicii

sagacitate idem ipse, cui tenues has nugas meas nuncupavi, laudatisimus Auctor *Dissertationis Isagogicae Cap. VIII.* Is enim arbitratur deductiones illas ab altero bello Punico memoratas nihil aliud fuisse, quam meras agrorum adsignationes, nec ullum ius, et privilegium iis civitatibus communicasse, quarum in agros eae coloniae a Romanis propagabantur; adeo ut Puteoli, ceteraeque urbes etiam adceptis colonis in eadem Praefecturae forma perstiterint, donec tandem communicata cum Italicis populis civitate ad suarum legum libertatem, et mox fortasse ad fundanorum municipiorum iura transierunt. Et sane quis tam ineptus adfirmaverit trecentos colonos prima, et altera deductione adscriptos ad coloniae statum Puteolos, aliasque urbes evexisse, praesertim cum non eos gratificandi causa Romanus populus immitteret, sed ut alienis, vel suspectis civitatibus praesidium imponeret? Verum illud hanc opinionem solidiorem facit, quod nimirum de Ferentinatibus, aliisque narrat Livius *Libr. XXXIV. Cap. XLIV. Novum ius eo anno a Ferentinatibus tentatum, ut Latini, qui in coloniam Romanam nomina dedissent, cives Romani essent. Puteolos, Salernumque, et Buxentum adscripti*

coloni , qui nomina dederant , cum ob id se pro civibus Romanis ferrent , Senatus iudicavit non esse eos cives Romanos. An Latini , qui in colonorum numero adscripti erant , irrepere in civitatem Romanam eo obtentu non poterant; urbes vero , in quas iidem coloni Senatus iussu migrabant , coloniarum iura cum plena civitate adipiscebantur ? Nae stultissimi sunt , qui ita sentient , praesertim si ad politicum Capuae statum paulisper oculos convertemus. Ea enim civitas cum Romano praefecto subdita fuisset non secus ac Puteoli , aliaeque urbes , quamquam multas colonorum manus per intervalla temporum adceperit , a pristina tamen incommodissimi imperii forma non decessit , donec in Juliana illa deductione post centum fere , ac quinquaginta annorum Praefecturam tandem ius coloniae nacta fuit. Testatur id Velleius Campanus historicus *Lib. II. Cap. XLIV. In hoc consulatu Caesar legem tulit , ut ager Campanus plebi divideretur , suasore legis Pompeio. Ita circiter XX millia civium eo deducta , et ius ab his restitutum post annos circiter CLII. quam bello Punico ab Romanis Capua in formam Praefecturae reducta erat.* Eamdem hanc veritatem

non semel invictissime adseruit Campanae urbis decus Alex. Symm. Mazochius in aureo illo *Commentario in Camp. Amphitheatri titulum* a nobis toties collaudato. Sic igitur *Cap. I. pag. 5. Devicta demum civitate, ac Romanorum iugo adcepto, una ex Romanis Praefecturis, quas Festus enumerat, fuit, adcipiebatque quotannis ab Roma Praefectum, qui iura daret. Isque status civitatis fuit per annos CLII. quot Velleius usque ad deductam a Caesare coloniam colligit. Quamquam vero per idem spatium deducta non semel eo tum civium, tum militum colonia fuit, ius tamen Campanis usque ad legem Juliam agrariam non restitutum idem Velleius adfirmat.* Vide etiam *Dissertation. Isagog. Cap. VIII.* unde non pauca ad hanc quaestionem spectantia mutuati sumus. Sed ut dispersas sarcinulas recolligamus, idem certe de Puteolis sentiendum est. Quamquam enim in hanc urbem non semel a Romanis colonia deducta fuerit; tamen urbis ipsius πολιτειαν non attigit, donec ad sociale foedus deventum est, cum immutato omnium civitatum Italicarum iure pristinam sibi libertatem vindicarunt Puteolani. Quod vero ad Augustaeam coloniam, luculentissime

patet nihil aliud eam fuisse, quam meram agrorum adsignationem, quos veteranis, legionariisque tribunis Augustus Caesar gratificaturus adtribuit, prout superius laudata Frontini verba demonstrant. Ceterum politicum Reipublicae statum non invertit: quin Puteolos municipium etiam tum fuisse ex eo coniectare licet, quod narrat Tacitus *Ann. Libr. XIV. Cap. X.* ubi cum vota, gratulationesque variarum urbium ob Neronis incolumitatem, et matris Agrippinae necem referret; *eo quod discrimen improvisum, et illius facinus evasisset*, ita prosequitur: *Amici dehinc adire templa, et capto exemplo proxima Campaniae municipia victimis, et legationibus laetitiam testari.* Quae urbes igitur Baulorum oppido, ubi tum Nero commorabatur, quam Puteoli, viciniores erant? Et quidem quemadmodum Puteolani ex iis fuerant, qui vulgato primum Agrippinae periculo, cum illud a filio intentatum nescirent, ut eidem gratificarentur, laboranti matri succurrere adnisi sunt, ut narrat idem Histor. *Cap. VIII. Hi molium obiectus, hi proximas scaphas scandere* etc: sic dubitandum non est, quin audito sceleris auctore, et iis causis, quas ad se purgandum comminiscebatur, metu per-

territi, hanc maculam detergere conati fuerint, legationes illi quamprimum decernendo, et victimis, et supplicationibus laetitiam suam ob incolumitatem principis testando. Quare facile mihi persuadeo eo loco Cornelium Puteolos potissimum indicasse, quos tamen aeque ac proximas alias Campaniae urbes municipium ιδιως adpellavit. Extat et Puteolana inscriptio apud Murator. in *Thes. Nov. Veter. Inscript. Tom. II. pag. MCX.* quam ad Puteolani municipii εποχην referendam esse certum est, etsi quo potissimum tempore scalpta fuerit, incertum.

L. OVIDIO. L. F. SEP
TENTRIONI TR
MIL. PRÆF. FABRUM
IIII. VIR. I. D. IIII. VIR
QUINQ
PRIMA. L. DE SVO. F
HVNC. PRIMUM
OMNIS. OR. MVN
IN. LOC. PVB. IN
TULIT. ET. SEP
CVRAVIT

His igitur positis facili negotio extricabitur, quod hactenus impeditissimum visum fuit, quo-

modo scilicet ab eodem Tacito dicatur Puteolorum vetus oppidum ius, et cognomentum coloniae a Nerone obtinuisse. *Annal. Libr. XIV. Cap. XXVII.* Puteoli enim quamquam Romanam coloniam non semel antea recepissent, tamen nunquam ius coloniae consecuti sunt, siquidem multitudo illa sive civium, sive militum praesidii, et multae loco, non beneficii, aut honoris gratia immissa in suum agrum fuit: quod tamen a Nerone postea impetraverunt, ut scilicet eodem iure essent, quo cunctae Italiae civitates donari undique tum adfectabant e municipali ad colonicam πολιτειαν certatim pertranseundo. Quid vero de cognomento dicemus? An illorum sententiae suffragabimur, qui Puteolos Neronianam coloniam vocatos putant? Haud ingratiis id quidem, si ex ullo veteri monumento expiscari forte datum esset. Quae cum nullibi adhuc adparuerint, nos eodem modo, ac de iure, sic de cognomento etiam laudatum Cornelii locum interpretabimur, nempe Puteolos aut numquam, aut si fortasse aliquando, improprie tamen coloniae nomen prae se tulisse, donec eo et iure, et nomine ornati demum a Nerone fuerint. Et re quidem vera nihil e Livio exculpi

potest, quod ad hanc nostram opinionem diluendam valeat, siquidem ab eo colonia deducta Puteolos, sive coloni Puteolis adscripti memorantur, numquam tamen oppido coloniae nomen inditum legitur: quod vero ad Capacianos titulos, ubi scribitur *Genio Coloniae Puteolanae*, *Patrono Coloniae Puteolanae* ecc. cum hi omnes Neronis aevo posteriores sint, opinionem nostram tuentur potius, quam infirmant.

Sed ecce urget Puteolanus lapis apud Gruter. Capac. aliosque, ex quo Puteolos coloniam fuisse, et ita dictos esse, et veram coloniae πολιτειαν iam ab anno DXLIX prae se tulisse tanquam ipso in lumine intueri, itaque prorsus habendum esse haud parva pars Archaeologorum putat. Ita enim legimus

AB. COLONIA. DEDVCTA. AN. XC
N. FVFIDIO. N. F. M. RVLLIO. DVOVIRIS
P. RUTILIO. GN. MALLIO. CONS
OPERVM. LEX. II

Verum quis ignorat eum lapidem tamquam non ingenuum a viris eruditissimis repudiatum olim fuisse, et etiam nunc non deesse philologo-

rum quamplurimos, qui eamdem sententiam complexi solidioribus undique argumentis communire nitantur? Certe et inaudita εποχην signandi ratio, et postpositi colonicis magistratibus Romani Consules, et cetera huiusmodi prorsus absurda, quae vix ipsum lapidis titulum intuentis oculos fodiunt, titulum ipsum suppositititium esse, et fraudolenter a lusore aliquo reliquae scriptioni adnexum tantum non aperta voce contendunt. Quam profecto reliquam scriptionem etsi genuinam esse cum paucis fatebimur, (plerique enim ut prorsus spuriam expungi volunt, quorum familiam ducit praeclarissimus Marchio Maffeius) tamen non ea aetate exaratam esse, quam signati consules praemonstrant, gravissima quaedam rationum momenta suadere videntur; illudque in primis, quod omnibus nimirum constat, Puteolos ab Annibalicis temporibus ad initam cum rebellantibus populis societatem puram putam Praefecturam fuisse, interea dum in eo marmore de Duoviris, ac Decurionibus altero quoque versu mentio fit, qui nullo quidem pacto in veteribus illis Praefecturis locum habere poterant, quarum nullum consilium erat, nullique proprii magistratus, ut plene Mazochius

noster de Campana Praefectura *Commenar. in Tab. Heracleens. pag. 392.* ex Livio probat. Quod si opinabimur cum quibusdam (ingeniosa quidem opinio , cui magis , magisque in diem vires crescunt) hanc qualemcumque marmoream tabulam non ad omnes omnino Puteolanos , sed ad unos Puteolanos colonos pertinuisse , ideoque ex ingenuorum marmorum catalogo expungendam non esse , cum coloni Romanae civitatis iura quocumque secum ferrent, et diversam semper rempublicam ab eo , quod occupabant , oppido (modo illud colonico iure careret , secus enim coloni , oppidanique in unam Rempublicam coalescebant) constituerent , suis omnibus magistratibus , iuribusque ornatam ad Romanae , quam referebant , reipublicae speciem ; tum vero non modo nullum detrimentum erit iis , quae de Politico Puteolorum statu disputavimus , sed quam maximum etiam firmamentum adcedet. Patet enim luculentissime Duoviros , et *Duovirates* , et consilium , sive curiam nihil cum Praefectura , in quo tum statu versabantur Puteoli , commune habuisse , sed unos Romanos colonos Puteolis inhabitantes spectasse , cum oppidani interea ad incommodissimum illud imperii genus compulsi

hisce omnibus privilegiis, iuribusque carerent, a Romano tantum Praefecto, quem ab urbe quotannis adcipiebant, pro arbitrio, lubituque regendi (1). Etenim sic composita re titulus

(1) Haud quidem poenitenda illorum opinio videtur, qui colonorum oppidis impositorum πολιτειαν aliam ab eiusdem oppidi πολιτειᾳ fuisse censent. Etenim nullo modo suspicari fas est Romanos cives, unde maxima pars coloniae constabat, adeo vecordes, dementesque fuisse, ut civitatis Romanae, quam tanta aviditate alii concupiebant, sponte se iuribus abdicarent, subditique viverent in iis oppidis, quorum alia Praefecturae erant, alia municipia saepius iniquo foedere Romanis iuncta. Et quidem colonos, oppidanosque diversa iura, resque habuisse satis indicant Pompeianorum illa inter *colonos*, *municipesque* dissidia, de quibus plura Tullius *pro Sylla Cap. X.* atque Auctor *Dissertationis Isagogicae* ad verba Tullii. Atqui si id in municipiis usuveniebat, (Pompeii enim ea aetate municipium erant, ut idem auctor *loco cit.*) multo magis in Praefecturis contigisse putandum est, quarum durissima fortuna erat, durissimumque imperium. Utrum vero coloni in hisce Praefecturis, sive municipiis perfectam omnino rempublicam repraesentarent cum suorum magistratuum, curiaeque adparatu, adhuc luce, atque argumentis indiget. Quidam enim, quorum laudavimus opinionem, id certissime tenent, atque huius ipsius marmoris auctori-

ipse non repugnat ; coloni enim , quorum negotium tunc agebatur , coloniae εποχην in

---

tate tuentur , quod cum ad unos Putcolanos colonos, ut ipsi putant , pertineat , tamen et Duoviros , et consilium , et pleni omnino iuris rempublicam exhibet. Verum quis ignorat hanc ipsam tabulam ab eo potissimum argumento per doctissimos , exquisitissimique iudicii viros inter spuria amandari ? Si quid fortasse hac in re valeret , esset profecto , quod refert Val. Max. in *vita Syllae* sub finem. *Puteolis ardens indignatione , quod Granius princeps eius coloniae pecuniam a Decurionibus ad refectionem Capitolii promissam cunctantius daret , animi concitatione nimia , atque immoderato vocis impetu , convulso pectore , spiritum cruore , ac minis mixtum evomuit.* Hinc enim duo colliguntur haud prorsus inopportuna et iis , quae de Politico Puteolorum statu modo protulimus , et huic ipsi , de qua nunc loquimur , sententiae. Etenim primum liquet Puteolis etsi municipali iure tum fruentibus , tamen Romanam coloniam insidere ; cuius homines utpote qui ab urbe principe oriundi certis quibusdam legibus fortasse tenebantur ad eam vel tuendam , vel ornandam : eaque de causa cunctantibus iis solvere pecuniam ad reficiendum Capitolium promissam, Sylla reipublicae nomine in eorum principem invehitur. Ergo coloni tantummodo adiguntur ad hanc symbolam conferendam, non vero omnes omnino Puteolani , qui ad pleni iuris libertatem evecti nihil prorsus cum Romana republica com-

fronte signant ; nec tamen in cetero marmore satis !ongo coloniae nomen praeterea occurrit ; id quod certo satis argumento est Puteolos tum coloniam habuisse suo iure , suaque republica fruentem , non vero aut coloniam fuisse , aut coloniam dictos esse , cum multo post , quam illa epigraphe scalpta fuit , Praefecturae iugum depulerint. Cetera ad eamdem tabulam pertinentia disputaverint docti viri , quibus ingenium , atque otium abundant ; (et sane perquam uberrimam fandi segetem suppeditabit) nobis quod unum rem nostram iuvat , meridiano sole clarius videtur huiusmodi monumentum, modo adulterinum non sit , vel nimium quidem serius anno Urbis DXLIX , in quo P. Rutilius , et Gn. Mallius consulatum gesserunt, scriptum fuisse , vel Romanos tantum Puteolorum colonos , non vero Puteolanos omnes respexisse (1). Profecto miror archaeologorum

---

mune habebant. Tum illud quoque patet in huiusmodi coloniis , et decuriones , et consilium , et curiam ad quamdam Romanae reipublicae imaginem extitisse.

(1) Inter cetera nuperorum somnia , qui antiquitates nostras tractarunt , illud adprime ridiculum est , quod Honoris templum , de quo in altera huiu-

πριτιμωτατους, qui Puteolanam πολιτειαν diserte hactenus enuclearunt, adeo hoc in lapide sibi placuisse, ut pro opinione sua stare putarint,

---

sce marmoris facie diserta mentio fit, se se tandem detexisse putant, eoq. potissimum in loco adsignant, qui paucis a *Divo Francisco* passibus distat, ubi etiam nunc ingentia murorum rudera, et veterum quarumdam substructionum ruinae. Sed quod magis rideas, quidam maioris ingenii homines de nova hac inventiuncula, tanquam de detecto thesauro, mirifice sibi placent, eamque veluti firmissimum momentum putant ad subruendam eorum sententiam, qui hanc tabulam ex ingenuarum numero expungi volunt. Rursus illi hoc eodem argumento nituntur ad corroborandam opinionem suam. Honoris enim templum non nisi Romae a Q. Maximo bello Ligustico dedicatum, mox a M. Marcello renovatum fuit, postremo iterum a Mario exstructum, et cum Virtutis templo coniunctum. Liv. *Lib. XX. Cap. XVII*, item *Lib. XXVII. Cap. XXV.* Cicer. *de Natur. Deor. Lib. II. Cap. XXIII.* August. *de Civit. Dei Lib. IV. Cap. XX.* etc. Ergo unis victoribus ducibus huiusmodi templa sacrare ius, fasque fuit, idque in urbe principe, in qua nimirum imperii sedes, et totius publicae potestatis summa. Ubi igitur victores hi duces Puteolis, in urbe tum haud celebri, imo in servili oppido, ubi nec ius, nec magistratus, nec consilium, nec vel parva quidem reipublicae species? An Romani ipsi imperatores Puteolos Honoris templum exaedificatum veniebant? Quid

quod opinionem ipsam adprime diruit. His igitur expeditis, quae restant, deinceps ordine prosequamur. Cum igitur Puteoli ius, et cognomentum coloniae a Nerone adquisivissent, in ea regiminis forma perpetuo perseverarunt. Unius Mazochii opinamentum fuit, Puteolos scissis post mortem Neronis actis rursus ad municipalia iura rediisse, in *Additament. ad Commentar. in Campan. Amphitheat. titul. pag. 4. num. 163*, quod, pace tanti viri dixerim, non modo solidis fundamentis, sed vel minima probabilitate caret: siquidem post Neronem quamplurimi insculpti lapides inveniuntur, ubi Puteoli aperte *Colonia* adpellantur. Sub Flaviis tantum Principibus Puteolana Colonia Flaviae sibi nomen adscivit, quod indicat mutilus ille lapis a nobis supra laudatus, ubi de restauratis ab Antonino pilis disserebamus, et multa praeterea monu-

---

improbabilius, vel absurdius? Nos, quod potissimum nostra interest, illud unum notum omnibus, certumque volumus, huiusce, quod isti venditant, Honoris templi nec ibi, nec alibi volam, uti aiunt, aut vestigium cerni: pura puta deliria somniantium esse, qui se solem in tenebris conspicari putant; quasi vero quaelibet pro lubitu adserere, id demum esset antiquitates disserere.

menta apud Capacium, Ignarram, aliosque. Atque id quidem factum puto ob eximiam Vespasiani in nostros benignitatem, qua multa opera Puteolis vel a fundamentis erexit, vel sua pecunia restauravit. Testis una haec inscriptiuncula apud Capac. *Lib. II. pag.* 312.

MP.I CÆSARI. VESPAS. AUG. PONT. MAX. TRIB. POT. III
IMP. IIX. P.P. COS. III. DES. IV. SEN. PUTEOL. QUOD
VIAS. URBIS NEGLIGENTIA. SUPER. TEM. CORRUPTAS
IMPENSA. SUA. RESTITUIT

Quod autem rem nostram propius pertinet, mentio Puteolanae Coloniae reperitur tum in ea, quam laudavimus, Graeca Tyriorum epistola data Γαλλιῳ, και Φλακκῳ Κορνηλιανῳ ὑπατοιν, *Gallio, et Flacco Corneliano Consulibus*, qui ann. Chr. CLXXIV eum honorem ceperunt, tum in duobus clarissimis monumentis in hac nostra eadem antiquitatis fodina repositis, quorum alterum paucis abhinc diebus ex obscuro quodam huiusce Cathedralis angulo, ubi male aversa facie positum erat ad substentandam muri partem, diligentissimus Praesul, sollicitante eodem, quo flagrat, in bonas litteras studio, protraxit in lucem; alterum paucis abhinc annis ad nostri Serapidis adparuit,

ubi vel temporum, vel hominum barbarie ita collocatum erat, ut pars scripta murum, cui haerebat, altera lucem spectaret.

M. AURELIO. ANTONINO. CAESARI. IMP. CAESARIS
L. SEPTIMI. SEVERI. PII. PERTINACIS
AUG. ARAB. ADIAB. P. P. PONT. MAX
TRIB. POT. IIII. IMP. VIII. COS. II. PROCOS
FILIO. COL. FL. AUG. PUTEOL (1)

. . . P. CÆSARI. DIVI. SEPTIMI. SEV
AURELIO. SEVERO . . . .
MAXIMO. TRIBUNICÆ. POT . . .
COLONIA. FLAVIA. A . . .

(1) Huiusce inscriptionis εποχη nec citius anno Christi CXCVI, nec serius anno CXCVII constituenda est. Etenim eo ipso anno CXCVI Septimius Severus Imperator VIII consalutatus fuit, atque Arabici, Adiabenici, et Parthici titulis ornatus; tum Bassianum filium Caesarem dixit, ac M. Aurelium Antoninum transnominavit. Cum vero hic idem Antoninus anno CXCVIII ad societatem imperii vocatus a patre fuerit, certe ante hunc annum eam epigraphen scalptam oportuit; aliter imperatoris, non uno Caesaris titulo condecoratus prodiret. Quid quod in ipsum annum CXCVI quarta tribunitia Severi potestas commemorata ab eodem nostro marmore incidit, postque eum annum Severus idem imperator X in antiquis monumentis

Haec autem idcirco fusius prosecuti sumus, ut ad propositum nostrum, unde diu, non tamen frustra, aberravimus, regrediamur, nimirum omnibus ut pateat, vel ipsis morosissimis rerum censoribus, quam levis esset opinio nostra, si το *M* municipium interpretaremur. Si enim Puteoli ann. Chr. CLXXIV, Gallio, et Flacco Corneliano Consulibus, tredecim nempe ante nostram inscriptionem annis (nostra enim inscriptio ann. CLXXXVII scalpta fuit:) (vide *IV huiusce Commentar. Caput*) colonia erant; si novem ipsis annis post, idest ann. CXCVI ad quartum circiter Severi imperantis annum, ut ex recenti Cathedralis lapide (vide *inferius notata ad hunc locum*) etiam colonia erant; si Caracalla imperante, ut ex Serapidici marmoris vestigiis, colonia adhuc dum erant, quomodo intermedio tempore, nempe anno CLXXXVII municipium esse poterant? An adfirmabimus nostrum hoc oppidum intra viginti circiter annos e colonia ad

---

audit? Vide Muratori *Annali d' Italia Tom. I* Recte igitur lapidis huiusce aetatem vel ad annum CXCVI, vel si mavis, ad CXCVII revocaveris, non serius hoc eam tempore consignaturus.

municipium, et inde rursus e municipio ad coloniam remeasse? Ecquisnam id sibi persuaserit sine certissimis, clarissimisque monumentis, quae tam novam rem, tam absurdam, tam ab omni prorsus eorum temporum consuetudine abhorrentem extra omnem dubitationis aleam stabiliant? Nam quis ignorat Adriani illud ab A. Gellio memoratum adeo per ea tempora ob Romanae civitatis splendorem praecelluisse colonias municipiis, ut vetera ipsa municipia in colonias immutari summopere gestierint? Denique notam ipsam *M* non cum praecedentibus litteris, sed cum sequentibus signis copulandam esse res ipsa clamat. Hisce omnibus sive magnis, sive parvis rationum momentis inductus ego το *M* *moerens* potius interpretarer: quae quidem mihi interpretatio eo magis placere, et probata esse coepit, quod nimirum cum inscriptionis nostrae argumento si non omnino convenire, certe non admodum discrepare videtur. Cum enim de funebribus persolvendis nobilissimae feminae ageretur, quae immatura morte intercepta immensum sui desiderium amantissimae civitati reliquerat, Duovir, penes quem erat Patribus id referre, haud immerito in publico luctu, ac tristitia et ipse *Moerens* verba fecisse

dicitur , quibus eos adhortatus est , ut tantae mulieris memoriae consulerent , eamque et funere publico , et tribus statuis , et decem pretiosissimi unguenti libris in amoris , obsequiique indicium donarent. Eodem prorsus pacto atque apud Gruter. in re fere haud absimili cuidam M. Oppio Placido (viro utique clarissimo , aut de sua saltem republica benemerenti) locum sepulturae Ordo Sanctissimus *Lugens* dedisse narratur.

D. M
M. OPPI. PLACIDI
HAR. PRIM. DE. LX
CVI. LOCVM. SEPVLT
VR. ORDO. SANCT
ISSIM. LVG. DEDIT

Gruter. *pag. CCCIV.*

Cetera huiusmodi praetereo , ne frustra diu sim in re notissima. At enim *Moerens* per simplicem initialem litteram notari hactenus incompertum omnibus , quicumque veteres lapides , et monumenta tractant. Haud equidem id ego diffiteor : verum quis negaverit potuisse fieri ,

et quandoque etiam factum esse in tot veterum monumentorum misero naufragio? Ad haec ut *Benemerenti*, vel *merenti* per priores litteras exprimere commune veteribus, atque usitatum fuit; (quemadmodum praeter innumera iam edita, nostra quoque quamplurima Puteolana marmora testantur) sic το *Moerens* per unam litteram aliquando notatum non adeo non verisimile est, ut ab omni penitus probabilitate abhorreat. Quod si quis nodum in scirpo quaerens etiam fluctuet, neque satis adhuc momenti ad propellendas hominum voluntates huic sententiae nostrae inesse contenderit; scito nos eius tantummodo rei sollicitos fuisse, ut omnibus nimirum per nos pateret in τῳ *M* municipium intelligi nullo modo posse, quod συν θεῳ copiose, et gnaviter praestitisse speramus: ceterum quemadmodum supplenda ea nota sit, videant docti viri, quibus immortales gratias habebimus, si suas nobis hac de re opiniones non invidebunt. Nos quod magis proprium, quod opportunum, quod vero proximum visum est, id praeter omnem adfirmandi arrogantiam attigisse contenti, liberiorem coniectandi, atque edisserendi locum ultro aliis concedimus.

CAPUT VI.

De loco, ubi marmor latebat, deque Marciano, seu de fundo Marciano.

Quinam fuerit locus ille, unde monumentum nostrum erutum fuit, haud difficile divinatu erit. Etenim tum exporrecta quaedam planities, quae ad mare usque procurrebat, tum loci ipsius opportunitas, tum non pauca superbissimorum aedificiorum vestigia, quae in variis suffossionibus ibidem crebro adparuere, illo ipso in loco Puteolanum forum extitisse facile persuadent. Quod autem confirmat opinionem nostram, in proximo hortulo Excellentissimi olim Principis Carditi nuper quaedam epigraphe reperta fuit, mutila illa quidem, et male nimis a vetustate adfecta, sed tamen grandibus inscripta litteris, ubi perspicue legitur *Basilica*. Cum igitur Basilicae plerumque a veteribus circa forum exstruerentur, cumque tituli, si qui ad ipsas pertinerent, ante earum vestibulum, sive a con-

ditoribus, sive a restauratoribus suspenderentur; siquidem hoc monumentum Puteolanam Basilicam spectavit, profecto non longe ab ea, id est, ipsomet in loco, ubi nostra epigraphe delitescebat, Puteolanum forum constituendum est. Praeterea multiplices statuae, atque columnae, quas idem Princeps ibidem ex intervallo effodit, luculenter indicant eum locum vel basilicam fuisse, vel aliud quoddam ex aedificiis publicis, quae circa forum disponebantur. Denique hoc nostrum monumentum colophonem addit, uti dicitur, et propositam de foro opinionem tuetur. Cum enim elogium nobilissimae feminae contineret, et sane quam gravissimum Puteolani Decurionatus de eius virtute testimonium perpetuo senatus consulto ad omnem posteritatis memoriam aeterno in lapide perennaturum; profecto tantum monumentum in celebriore urbis loco, id est in foro dedicari verosimilius debuit ad maioris tum honoris, tum dignitatis indicium. Haec igitur pauca rationum momenta in unum simul composita conficere rem possunt meo iudicio, ut haud inepte cuiquam liceat opinari marmoris nostri situm ipsum Puteolanum forum extitisse. Postremo cum in hoc nostro commentario frequens *Marcianae*, et *Mar-*

cianorum iniecta mentio sit, antequam illi manum imponam, haud inopportune mihi tanquam pro coronide pauca quaedam adnectere lubet de *Marciano*, sive de *fundo Marciano*, quae non ante penitus perspecta mihi nunc primum animadvertisse videor.

Notum quidem universis est Divum Januarium una cum Sosio Misenate, Proculo Puteolano, et Festo Beneventano Diaconis, itemque cum Desiderio eiusdem Ecclesiae Lectore, et Eutychete, atque Acutio civibus Puteolanis iussu Draconţii Praesidis eadem hac nostra in urbe capite plexos fuisse. Porro id ex antiquis locupletissimae fidei Actis ad eum locum evenisse fertur, qui ea tempestate *Sulphurataria*, seu *Sulphotaria* vocitabatur, nunc autem vernaculo idiomate *Solfataia* dicitur, ab antiqua Puteolorum urbe haud satis longo dissitus intervallo. Postquam igitur sanctissimi martyres occubuerunt, *εκκριτοι* quidam singularum urbium cives eorum corpora legerunt, et noctu furtim deportata suis in civitatibus condiderunt, praeter Neapolitanos, qui Beati Januarii corpus, quod *indicante Numine* sibi vindicarunt, in *Marciano* tumulavisse dicuntur. Vide *Acta Vaticana sub fin.*

Porro variae fuerunt hominum opiniones de

vero *Marciani* situ, quas si singulas recenserem, in amplum profecto volumen excresceret hic commentarius, mihique ad exitum deproperanti nimio fortasse plus, quam vellem, excurrendum a meta foret. Iam communi omnium suffragio explosa eorum sententia fuit, qui hunc locum in agro Nolano, seu Nucerino comminiscebantur, cum verus Marciani situs omnino in nostris viciniis inveniendus sit. Et quidem Tutinus in vita S. Januarii *Cap. LXXII* adfirmat *eum fuisse sepultum in Marciano inter sulphurariam, et montem Spinae dictum.* Hunc praeter alios sequutus Mazochius in *Additam. Mens. April. pag. 972 kalendar. Tom. III. In Marciano*, inquit, *olim Januarium fuisse sepultum testatur Joannes Diaconus in S. Joanne Primo. Et quidem Marciani nomen adhuc fundo cuidam prope Capuccinos haeret, quem memoratum reperio in quodam instrumento Puteolano, quod mihi nuper ostensum fuit.* Sed nec ipse locum vidit, nec ex eodem instrumento illum definire quidquam pensi habuit, ut facere par erat hominem, qui eius Hieromartyris Acta minutissime commentabatur, praesertim obluctantibus adversariis eruditissimis, eiusque non sententias modo, sed voculas etiam, atque apices nimium studiose, ne

dicam maligne rimantibus. Et horum quidem antesignanus Joannes Stiltingus ratus sese, quod alii vel neglexerant, vel parum viderant, divinasse, Marcianum in ipsa recenti Martyris Ecclesia collocavit, eo potissimum argumento ductus, quod et Mazochius Marcianum fundum haud procul ab eadem Ecclesia, et coenobio Capuccinorum statuit, et quod ille ipse locus antiquissimo Divi sacello insignis erat, de quo et Acta Vaticana, et veteres scriptores loquuntur. Cumque sententiae suae directo obstarent luculentissima epigrammata duo, alterum quidem Ecclesiae ipsi forinsecus, alterum sub ara sese dextrorsum ingredientibus obiiciente praefixa, (1) ubi locus ille non sepulturae, sed certa-

---

(1) Epigramma ecclesiae praefixum

DIVO. JANVARIO
DIOCLETIANI. SCELERE. OBTRVNCATO
NE. QVOD. SACRI. CORPORIS
CRVORE. MADVERAT
SOLVM. SINE. HONORE. DIVTIVS. MANERET
NEAPOLITANA. CIVITAS
P. P. AERE. P. F. ANNO. MDLXXXIII

Epigramma sub ara positum

LOCVS DECOLLATIONIS SANCTI
JANVARII ET SOCIORVM EIVS

minis Martyrum esse dicitur; ut tantae rationis vim eluderet, (nam eam aperte profligare nec tantus ei animus inerat) nescio quam vanam traditionem incusat, unde hanc opinionem pro manasse, vulgique adeo universi animos invasisse contendit. Vide *Acta Sanctor. Mens. Septembr. Tom. VI. pag. 782, et seqq. Antuerpiae Anno 1757.* Merae nugae. Primum enim Mazochius Marciani situm non oculis ipse suis viderat, sed ex quodam Puteolani tabellionis scripto didicerat: deinde cum ille prope Capuccinorum coenobium Marcianum locet, non ipsum tamen coenobium ambitu comprehendisse suo, quod Stiltingus docuit, arbitratus est; quamvis enim late pateret Marcianum, at non ea regione patebat, ut mox videbimus. De Ecclesia vero, sive aedicula, nescio unde et Stiltingo, et Mazochio ipsi ea prorsus insederit animo sententia, ut illam in sepulturae, non in agonis loco fuisse contenderint: Acta enim, quibus unice innituntur, non modo non suffragari, sed aperte refragari videntur. (Consule quae in inferiori notula disputabimus.) Omnino ubi nunc et Hieromartyris Ecclesia, et sacra coenobitarum claustra, purus putus locus agonis, non sepulturae fuit: quae quidem vulgaris opinio

haud temere, stulteque, ut parum apte Stiltingus putat, sed cum consilio, ac sapienter crevit. Cum enim in Actis et Vaticanis, et Bononiensibus ad *Sulphurariam* Martyres decertasse dicantur, cumque hodiernae Ecclesiae, et coenobii locus tam prope ipsam Sulphurariam sit, ut in ea ipsa merito censeri queat; (1) iure in

(1) Id enim *το ad* designat, nempe vel ipsam Sulphurariam, vel locum Sulphurariae proximum. Atqui si vel ipsam Sulphurariam, ut Stiltingus postulat, intelligamus; nemo certe tam rigidus decempedator erit, ut vix pauculorum passuum spatiola hodiernis Sulphurariae finibus admetiri velet. Praeterea quis veterem locorum faciem novit? Adeone praesentes Sulphurariae terminos tuebimur, ut eos aliquantillum olim excurrisse nefas sit opinari? Quod autem certum est, hic ipse hodiernae Ecclesiae, et coenobii locus iam pluribus abhinc saeculis vulgo *Santo Januario* adpellabatur; cuius quidem nominis luculentissima nobis argumenta praebent tum celeberrimum illud pactum conventum inter Civitatem Neapolitanam, et Puteolanos Canonicos publicis tabulis consignatum Anno 1747, tum oratio Andreae Mazzuccae in foro Neapolitano causarum patroni pro Capitulo Puteolano scripta Anno 1747, ubi et memoratas tabulas, et multa praeterea vetustioris aetatis testimonia laudat, ex quibus omnibus vulgaris eiusdem loci adpel-

animis hominum inolevit opinio illum ipsum lo-

---

latio constat iam inde a remotioribus saeculis ad haec usque tempora incolumi traditione transmissa. Vide *hanc eamd. Orat. eod anno Neapoli editam pag. 3, et seqq.* Huiusce autem adpellationis causam sive ab Hieromartyris certamine, sive ab Ecclesia in ipso certaminis loco posita repetes ; nunquam profecto non verum erit eumdem illum locum agone sanctissimorum militum , non sepultura celebratum a patribus nostris fuisse, cum Marcianum praedium , ubi postea tumulatus Januarius dicitur, longe a Sulphurariae finibus quaerendum sit; id quod eadem Martyrum Acta diserte insinuare videntur. I. *Christiani vero diversarum urbium custodiebant corpora Sanctorum , ut ea noctu raptim tollerent , et in civitatibus suis sepelienda portarent : et coeperunt occulte solliciti observare.* Ita quidem Vaticana , totidemque verbis Bononiensia. Mox illa pergunt. *Et facta nocte , universis dormientibus , silentii hora noctis adparuit Sanctus Januarius uni eorum, qui parati erant corpus eius tollere , et dicit : Frater cum corpus meum tuleritis , et digitum manus meae illo in loco exiliisse cognoscite ; requirite eum, et pariter cum corpore meo ponite. Et ita factum est , ut Sanctus ipse admonuit.* II. *Corpora autem Sanctorum iacuerunt ad Sulphotaream ,* III. *ubi postea dignam Beati martyris Januarii Basilicam condiderunt.* IV. *Noctu vero cum unaquaeque plebs sollicite suos sibi patronos rapere festinaret , Neapoli-*

cum cruore sanctissimorum Martyrum cohonesta-

---

tani Beatum Januarium sibi patronum tollentes a Domino meruerunt. V. *Quem primo quidem in loco, qui adpellatur* Marcianum , *absconderunt. Postea vero quieto iam tempore venerabiles Episcopi una cum omnibus ex genere Beati Januarii , cum plebe Dei sancta , cum hymnis , et laudibus corpus eius tollentes iuxta Neapolim transtulerunt , et posuerunt in Basilica , ubi nunc requiescit.* Enimvero multa scitu dignissima ex hac quamvis longa narratione discimus contra ea , quam Stiltingus , aliique fortasse eiusdem opinionis homines rati sunt. I Primum selectos quosque diversarum urbium viros suorum civium corpora servasse , quae noctu raperent, aveherentque, nimirum in patrias urbes , merito ibi cultu, et honoribus custodienda : II tum eadem Sanctorum corpora eo ipso , ubi caesa fuerant , loco, reliquo dici spatio stetisse;(id enim prorsus sibi vult *iacere ad Sulphurariam* , quod et ipsius dictionis ratio , et sequentia verba demonstrant) III ibique postea in aeternum rei monumentum Ecclesiam , sive Martyrium Divo Januario exstructum fuisse : IV mox faventibus tenebris selectos illos homines id ipsum , quod sibi proposuerant , cuiusque rei causa convenerant , perfecisse : V denique cum et Misenates , et Puteolani , et Beneventani suos cives , patronosque in propriis urbibus sepeliendos efferrent , Neapolitanos Januarii

tum olim fuisse, ad cuius rei memoriam pe-

sui corpus non ad ipsam statim Neapolim avexisse, sed in *Marciano abscondisse*, commodiore mox illinc tempore in patriam civitatem exportandum; quod tamen sero post factum novimus. Ergo nisi quis in pleno meridie caecutiet, duo haec nobiscum fateatur oportet, primum ad Sulphurariam Martyres capite plexos fuisse, ibidemque postea compositis Christianis rebus Ecclesiam, sive sacellum Divo Januario eorum principi exaedificatum esse, unde perpetua loco adpellatio haesit, *Santo Januario*, tot antiquis, ac recentibus tabulis, testimoniisque firmata: tum Marcianum non vel in ipsa Sulphuraria, vel paucis a Sulphuraria passibus quaerendum esse, sed remotiori quodam situ, qui tamen ipse et a Neapoli non longe abesset, et tum fortasse ad Neapolim ipsam pertineret, qualem nempe superiori pagina definiemus. Nec enim par, aut simile vero videri poterit, cum et Misenates, et Puteolani, et Beneventani ipsi tam longe dissiti suorum civium corpora ad patrias urbes adsportassent, Neapolitanos, qui sacrum Januarii pignus *indicante Numine* sibi vindicarunt, quique gravissimis, uti fas est credere, de causis illud statim inferre in urbem non potuerunt, aut nimium procul ab urbe ipsa, aut in loco non suo tumulavisse. Quidquid tamen de Marciano praedio per ea tempora fuerit, certe posteriori aetate ad rem publicam Neapolitanam pertinuit, interque nunc ipsius

rennandam parva quondam aedes, quam Basi-

Neapolitani agri fines censetur, quod et multa tabellionum scripta testantur, et diserte adseruit Caraccio-lus in *Histor. Demonstrat. de Patria S. Januarii pag.* 60. *Sciantque omnes lectores etiam agrum Marcianum, quo sacrum corpus B. Januarii defossum fuit, ad Neapolim pertinere.* Quod vero putat Stiltingus idem, nempe laudatos illos Martyrum custodes de rapiendis, avehendisque civium suorum corporibus cogitantes sententiam postea mutasse, eaque statim a caede in Marciano (quem ille locum tam proximum Sulphurariae facit, quam nunc est ipsa recens Januarii Ecclesia) contegisse; (hoc enim Stiltingi est *iacere ad Sulphurariam*) id eum credimus somniantem, aut dormitantem scripsisse; adeo enim est et praeter omnem Actorum fidem, et praeter omnium scriptorum, ipsiusque longaevae traditionis auctoritatem, ut nihil abnormius, absurdiusque scribi, aut cogitari queat. Quo autem eredas, me non temere, aut partium studio ea loqui, en tibi sub uno oculorum ictu totam Stiltingianorum argumentorum ανακεφαλαιωσιν, quam ille ipse exhibet in *Cit. Op. pag.* 783. ubi cum de loco, ubi nunc recens Ecclesia, et coenobium Capuccinorum, dissereret: *Observo*, inquit, *locum illum non videri martyrio, sed sepultura Sancti Januarii nobilitatum. Traditio popularis, opinor, ex loco sepulturae paulatim fecit*

licam improprie Acta vocant, exstructa inibi fuit,

---

locum martyrii, eaque opinione semel recepta positae fuerunt inscriptiones Traditioni conformes. At Acta ipsa, omniaque adiuncta repugnant, ut paucis ostendam. Acta docent Sanctos fuisse occisos in (sic ille pro *ad*, ut in Actis legimus) *Sulphuraria. Atqui Ecclesia Capuccinorum est extra Sulphurariam in colle posita* (si extra Sulphurariam dicendus sit locus, qui modo Sulphurariam ipsam contingit, aut paucis ab ea passibus distat, et olim fortasse in ipsa Sulphuraria continebatur : atque id verum erit, etiam si το *ad Sulphurariam* stricte intelliges pro puro puto Sulphurariae ambitu) *Sancti igitur caesi non sunt, ubi modo est monasterium Capuccinorum. Acta docent Basilicam Sancto Januario fuisse erectam in loco sepulturae, non in loco martyrii* (ὑπόθεσις quam mendacissima, nimirum ex praeconcepta temere opinione, quod *iacere ad Sulphurariam* idem sit, ac in Sulphuraria tumulari, quod et praeter vim dictionis, et praeter orationis contextum, et praeter omnem omnium scriptorum auctoritatem ostendimus). *At Ecclesia Sancto erecta est, ubi modo est Ecclesia Capuccinorum. Ergo ibidem sepultus fuit S. Januarius, non occisus.* (Assumptio, et complexio falsa ὑπόθεσει superstructae eodem cum suo principio ruunt.) Mox, laudata Mazochii de Marciani situ opinione: *Si fundus,* inquit, *Marcianus modo est prope Capuccinos* (atque in hoc sibi ipse non constat Stiltingus, qui in tabula

cui postea incendio, aut terrae motu, aut ipso fortasse senio collapsae, (2) Excellentissima Ci-

---

χωρογραφικη eumdem fundum longe ab ασκητηριω Capuccinorum signat) *quis non facile perspiciat illum latius olim extensum fuisse, ut locum totum, quem modo Capuccini habent, aut saltem locum Ecclesiae ipsorum vetustissimo Sancti Sacello insignem comprehenderet* (latius quidem patebat Marcianum, et nos fatemur, sed non ad Puteolanam regionem patebat ; quod et indicant vetera locorum nomina, cum spatia illa, quae modo recens Ecclesia cum coenobio Capuccinorum occupat, partim *Santo Januario*, partim *Campanora* vocabantur, prout praeter millena hominum testimonia, locupletissima Capitularis tabularii scripta testantur) *Itaque necesse non est, ut Marcianum alibi quaeramus, cum Marcianum habeamus* (nimirum ex suis somniis) *illo ipso in loco, quem omnia indicant locum sepulturae fuisse.* En omnem, ut modo aiebam, Stiltingianarum rationum aciem, quam uno spiritu difflabit quicumque non mentem modo, aut animum, *sed oculos* habeat, quibus locorum situs explorare, atque in rem praesentem αυτοπτης testis venire queat.

(2) Hanc aediculam penitus evanuisse eo potissimum ab argumento reor, quod laudatissimum illud pactum conventum inter Puteolanos Canonicos, et Civitatem Neapolitanam de *Constructione Fabricae Ecclesiae Sancti Januarii* loquitur, quin ulla in eo

vitas Neapolitana in sui erga beneficentissimum patronum grati animi signum, ampliorem, elegantioremque, qualis hodie visitur, suffecit, eamque praeterea perquam insigni coenobitarum ασκητηριῳ auctam voluit Anno MDLXXXIII, symbolam in id conferente suam nostro quoque Puteolano Capitulo, cuius iuris, ac mancipii locus ille iampridem cum suo ambitu, ac viciniis erat. Id tenuit per tot saecula constantissima hominum opinio: id vetustiorum parentum nostrorum auctoritate ratum ad nostram usque aetatem incolume perseveravit, frustra oblatrante homine Belga, qui vix semel anno 1758, ut ipsemet fatetur, nostra haec loca obiter visit. Sed ut ad Marcianum, unde nimio plus digressi sumus, revertamur, verus illius situs inter montem Spinae, et Aniani lacum quaerendus est, ubi nempe illum iampridem multa et

---

de priori aedicula vel saltem brevis mentio fiat: atqui aliter quidem se res habuisset, si illius rudera vel parva extarent: etenim aut *restaurandi* vocabulo usus tum scriptor fuisset, aut quoquo modo eam innuisset. Haesit tamen diu loco *Sancti Januarii nomen*, idque, ut supra ostendimus, vel ab agone ibi tolerato, vel ab Ecclesia inibi exstructa.

nostrorum , et vero etiam Neapolitanorum tabellionum scripta designarunt ; qui sane locus non adeo prope, ut sibi fortasse male suasit Mazochius , sed mille circiter , ac quingentis passibus ab hodierna Ecclesia , ac coenobio abest. Et quidem hodie dum eo ipso in loco extat praediolum quoddam vulgo dictum *La Marciana*, quod conterminum monti Spinae, qua parte Puteolos respicit , leniter sese demittens viginti fere iugerum spatio ad Aniani lacum decurrit. Atque hic sane fundus , qui olim a Francisco Vergara Craci Duce , nunc post varias rerum vices a quodam Salvatore Varriale habetur, hisce verbis definitur in Michaelis Tessitore Neapolitani tabellionis scripto Anno 1773. *Ed affinchè si sappia il sito , e lo stato attuale di detti territorii* (de quibus nempe inibi sermo est) *si asserisce come la suddetta masseria di moggia venti arbustata , vitata , e seminatoria sita in detto luogo denominato Agnano in pertinenze di questa città di Napoli , nel ristretto della Parocchia di Fuorigrotta , la quale massaria volgarmente è denominata* la Marciana *confinante dalla parte di Pozzuoli con altro territorio dell' istesso signor Duca* ecc: sequitur enim longa finium descriptio more notariorum , qui

eos diligentissime, etsi inquinatissime designant, rusticorum ritu, ne dicam barbarorum quaelibet verborum monstra pingentes. Porro quod nunc sive praedium, sive fundus exiguis sane terminis continetur, exspatiatum olim longius fuisse, ut totam illam planitiem complecteretur, quae inde longe, lateque ad Aniani lacum usque patescit, dubitare nos haud sinunt immensa illa latifundia, quibus invalescente luxu villas suas veteres continuabant. Et sane Marcianum nihil aliud, quam villa esse debuit, ab heri Marciani nomine vocata eodem prorsus pacto, ac non procul ab eo ipso praedio (ut innumera huiusmodi in re notissima exempla omittam) Lucullanum, et Seianum villae quaedam pariter fuere a dominis suis nomina mutuatae. Vide Mazoch. *Diatr. De Castro Lucullano in Dissert. Histor. de Cathedr. Eccles. Neapolit. variis diverso tempore vicibus pag. 208, et seqq.* Jam ex hac nostra inscriptione patet Marcianos fuisse Puteolis, eamque familiam genere, atque opibus longe ante alias inclaruisse. Nil igitur facilius, quam ut Marcianus aliquis illud sibi praedium eo in loco paraverit, quod ab hero Marciano cognominatum postea Marcianum fuit, cuiusque nomen perpetuo deinde gessit, etiam cum immu-

tata loci facie in quidvis aliud abierit ; cuius quoque rei non desunt exempla apud veteres. Porro cum ille locus et natura, et situ fortasse a frequentia hominum remotior esset, ea de re aptissimus omnium, tutissimusque visus Neapolitanis fuit, qui sanctissimi patroni corpus contegeret, quoad ethnicorum furor defervesceret, et divinae religionis opes confirmarentur. (1) Nec

---

(1) Ut autem aliquid et de nostris civibus edisseramus, praestat audire eadem Acta Vaticana, quorum in appendice sic narratur. *Puteolani quoque S. Proculum Diaconum, et Sanctum Eutychetem, et Sanctum Acutium cives sui tulerunt ; et posuerunt in Praetorio Falcidii, quod coniungitur Basilicae S. Stephani in contrivio ipso.* Iam constat omnibus Praetoria posteriori aevo ampliores, elegantioresque villas adpellatas fuisse, quae nimirum non ad rusticum usum, sed ad urbanorum aedificiorum instar splendidissime, adparatissimeque exstruebantur. Vide Sueton in *Calig. Cap. III.* Quisnam vero Falcidius iste fuerit, qui tantas sibi delicias eo in loco paraverit, divinare hactenus nequivimus. Certe Falcidiam gentem apud Romanos clarissimam multa vetera monumenta loquuntur. Celebratissima praesertim apud Jurisconsultos *Falcidia lex de testamentis* a P. Falcidio tribuno plebis in Augusti triumviratu lata, quam vide apud Ulpian. et alios. Utinam, vero, quod optat Mazochius in *Actor.*

illum interea a Christianorum secreto confluentium cultu unquam vacuum fuisse putamus;

Bonon. Vindic. Repet. Neap. 1759. nobis ex hodiernis locorum nomenclationibus verum huiusce Praetorii situm definire liceret. Sed qua interrogando, qua observando nihil hactenus certi extudimus. Quantum vero coniecturis adsequi fas est, eo potissimum in loco designari posse videtur, qui ab ortivo viae Campanae latere sensim adsurgens in altum deinde collem evadit, vulgo dictus *Cigliano*. Etenim etiam nunc eodem in loco, utique amoenissimo, praediolum quoddam passim vocitatur a rusticis *Santo Stefano*, ubi profecto Puteolanam Cathedralem Ecclesiam a Divo Stephano patrono nomen mutuatam olim extitisse, dubitare nos haud sinunt pauca quaedam, quae adhuc superant, fugientis antiquitatis vestigia, et parva praesertim cella vinaria miro artificio elaborata, quam ad illius Basilicae usum quondam pertinuisse, ipsa eius forma, et structura docet. Porro cum huic aedi Praetorium istud Falcidii conterminum Acta vocent, certe haud procul ab eo ipso loco, molli, acclivique iugo splendissimam hanc villam olim patuisse coniiciendum est. Atque ut Neapolitani Januarium suum in *Marciano*, sic in hoc *Falcidiano* civium suorum corpora nostros occuluisse ex laudatis Actorum verbis intelligimus, quoad desaeviente tandem procella, vel in eadem Divi Stephani aede, (quam non in illo ipso persequentium ethnicorum tumultu, sed paulo post, quiescente

Neapolitanorum praesertim, quibus beatissimi civis, et patroni corpus quovis thesauro praestabilius erat; nec eumdem ipsum locum sic postea ab illis neglectum credimus, ut nulla prorsus tanti honoris vestigia servarit, fortasse ad seros posteros perventura, nisi huiusce ipsius regionis tractus saevientium temporum iniurias longe ante alios expertus esset. Quod autem certum est, ineunte fere saeculo V, invalescente pietate, et Christianis rebus plene compositis, sacrum illud pignus e Marciano sublatum ad extramuranam Ecclesiam magnificentissima pompa Neapolim delatum fuit, tandemque post varias peregrinationes in recentem Ca-

---

re Christianorum publica, fundatam credimus) vel in propria aliqua Ecclesia sacra pignora condiderunt. Ceterum quo pacto tum princeps haec Divi Stephani aedes, quam percelebrem fuisse iure suspicari debemus, tum reliqua maiorum nostrorum religionis, ac pietatis monumenta haud longo sane temporis intervallo funditus perire omnia potuerint, ut vix, aut ne vix quidem eorum ruinae indicari hodie curiosis queant; proxima quidem miraculo res esset, si minus nota orbi forent bella, devastationes, terrae motus, incendia, et quamplurima huiusmodi malorum seges, quae beatissimas has nostras oras penitus pessumdederunt.

thedralem invectum, ubi ad populorum, et patriae securitatem perpetuo, uti speramus, conquiescet. Vide *laudata Actorum verba*, et Mazoch. in *Dissertat. Histor. De Cathedr. Eccles. Neapolit. semper unicae variis diverso tempore vicibus pag. 141, et seqq.*

FINIS

GAVIAE·M·FIL
MARCIANAE
HONESTAEETINCOMPARA
BILIS·[illegible]ETAEMATRON·GAVI·
PVTEOLANI·DECVRIONOMNIB·
HONORIB·FVNCTI·FIL·CVRTICRIS
PINI·SPLENDIDI·EQVITIS·ROMAN
OMNIB·HONORIB·FVNCTIVXORGA
VI·IVSTI·SPLENDIDI·EQVITRO[illegible]AN·
SORORI·HVIC·CVM·OBEXIMI[illegible]·PV
DOREMETADMIRABILEMCAS[illegible]
TEMINMATVRAETACERBAMORE
INTERCEPTAE·RESPFVNVS·PVB·LIC
ITEMFOLEVMETTRES·STATVASDECR
M·GAVIVS·PVTEOLANVS·PATER·HON
DECRETI·CONTENTVS·SVA·PEQVN·
POSVIT·L·D·D·D·

L·BRVTIO·CRISPINO·L·ROSCIO·AELIANO· COS·
V KAL NOVEMBR

]NTEMPLODIVIPITISCRIBVNDOADFVERVNTCAEPROCVLVSCOSSVLIVSRVFINVS
CIPRISCVSCNEPPISIVSQVODPOSTVLAVITAMINTOPROCVLOOVDEDECERNENDO
FVNTREPVBLICOGAVIAEMEMARCIANAEBMEITEMDECEMLEBRISFOLEILOCLEQ
TRIBVSCONCEDENDISQVAE]PSIELEGERINTIINQVIBVSSTATVAEIDEMMARCIA
NAESECVNDVMEIVSDEMPROCVLIPOSTVLATIONEMPONERENTVRPRIMVMSIGNATI
VSTAVRINVSDVOVIRMVFODERFIDERIC OPTIMSQVIDEMSINGVLOSVNI
VERSOSQVENOSTRVMINHONOREMCVRIICRISPINIMAGISTRATVSNPRIMARI]
VIRITEMGAVIPVTEOIANISOCERIEIVSADIAEQVEOVGAVIAEMARCIANAEBMIE
VIVAEPOTIVSHONORISCONFERREQVAMADHVIVSMODIDECRETVMPROSILIREVIDE
SODACIOVIVENTIVMQVAERERENVSEIDEOQVODPERTINEATETIAMADMEMORIAM
PVELLAEIPSIVSCOHONESTANDAMPLACEREHVICORDINIFVNVSPVBLICVMEIDE
CERNIETDECEMLIBRASFOLIEMSITTICONCEDIQVESECVNDVMPOSTVLATIONEMINHI
OVVTLOCAQVAEELEGERINTSTATVENDISTRIBVSSTATVISDECONSENSIONENOSTRA
CONSHSVANTVR

GAVIAE·M·FIL·
MARCIANAE

HONESTAE ET INCOMPARA
BILI SANCTAE MATRON · GAVI ·
PVTEOLANI · DECVRION · OMNIB ·
HONORIB · FVNCTI · FIL · CVRTI CRIS
PINI · SPLENDIDI · EQVITIS ROMAN
OMNIB · HONORIB · FVNCTI VXOR GA
VI. IVSTI · SPLENDIDI · EQVIT · ROMAN ·
SORORI · HVIC · CVM · OB EXIMIVM · PV
DOREM · ET ADMIRABILEM CASTITA
TEM . INMATVRA · ET · ACERBA · MORE
INTERCEPTAE · RESP · FVNVS · PVBLIC.
ITEM · FOLEVM · ET · TRES · STATVAS · DECR
M· GAVIVS PVTEOLANVS · PATER · HON
DECRETI · CONTENTVS · SVA · PEQVN ·
POSVIT · L· D· D· D·

L. BRVITIO . CRISPINO . L. ROSCIO . AELIANO . COS.
V. KAL NOVEMBR

IN TEMPLO DIVI PII SCRIBVNDO ADFVERVNT CAEP PROCVLVS COSSVLIVS RVFINVS CIPRISCVS CAEPPISIVS QVOD POSTVLANTE ANNIO PROCVLO O V DE DECERNENDO FVNERE PVBLICO GAVIAE M F MARCIANAE B M F ITEM DECEM LIBRIS FOLEI LOCISQ TRIBVS CONCEDENDIS QVAE IPSI ELEGERINT IN QVIBVS STATVAE EIDEM MARCIANAE SECVNDVM EJVSDEM PROCVLI POSTVLATIONEM PONERENTVR P MANLIVS IGNATIVS TAVRINVS DVOVIR M V F Q D E R F P D E R I C OPTASSE QVIDEM SINGVLOS VNIVERSOSQVE NOSTRVM IN HONOREM CVRTI CRISPINI MAGISTRATVS N PRIMARII VIRI ITEM GAVI PVTEOLANI SOCERI EJVS ADAEQVE O V GAVIAE MARCIANAE B M F VIVAE POTIVS HONORIS CONFERRE QVAM AD HVJVSMODI DECRETVM PROSILIRE VT DE SOLACIO VIVENTIVM QVAEREREMVS EI IDEO QVOD PERTINEAT ETIAM AD MEMORIAM PVELLAE IPSIVS COHONESTANDAM PLACERE HVIC ORDINI FVNVS PVBLICVM EI DECERNI ET DECEM LIBRAS FOLEI MITTI CONCEDIQVE SECVNDVM POSTVLATIONEM ANNI O V VT LOCA QVAE ELEGERINT STATVENDIS TRIBVS STATVIS DE CONSENSIONE NOSTRA CONSEQVANTVR

In altero versu O V *lege* Optimo Viro
In tertio versu B M F Bene Merenti Feminae
In sexto versu M V F Q D E R F P D E R I C *Moerens* Verba Fecit Quid De Ea Re Fieri Placeret De Ea Re Ita Censuerunt
In septimo versu N Nostri
In nono versu Honoris pro Honoreis

Etsi omnem diligentiam adhibuimus, ut haec editio quam nitidissima evaderet; tamen operas typographicas in tanta praesertim locorum distantia dicto penitus audientes habere nequivimus. Quidquid igitur peccatum ab iis est, benigne feres, amice lector: nos praecipua heic σφαλματα subiiciemus,

QUÆ	SIC	CORRIGES
Pag. VII	interris	in terris
X	*male parvus.*	*male parvus*
XIII	*qualecumque*	*qualemcumque*
XV	*go*	*ego*
3	in not. nuovo	novo
ib.	Spendidiss.	Splendidiss.
8	cogomina	cognomina
9	nomiue	nomine
10	un denam	un-denam
11	in not. effosus	effossus
13	in not. *mierosphaerum*	*microsphaerum*
15	Auctor.	Auctor
18	συλλεγοντες	συλλεγοντες
20	in not. Bolaei	Budaei
29	haud inverosimile	satis verosimile
31	Aegyptorum	Aegyptiorum
ib.	ungueuta	unguenta
32	in not. σιυδονιτας	σονδονιτας
36	in not. *oondita*	*condita*
37	de qua	de quo
ib.	*siccificam*	*siccificum*
39	in not. Vidimus	Vidimus

40	in not. αληθινοε	αληθινος
ib.	neemantoh	neemanoth
42	in not. Alexadrinosque	Alexandrinosque
43	in not. ὁλ ναδων	ὁλναδων
ib.	των	των
44	εμφατικοτερως	εμφατικωτερως
45	Anianum	Aniani
52	nostram	ad nostram
54	in not. *el*	*ex*
55	*adpellatu sesset*	*adpellatus esset*
59	Augustatia	Augustalia
60	in not. iniieit	iniicit
62	in not. διπεναι	διππεναι
65	occurit	occurrit
66	Iucnlentissime	luculentissime
69	in not. *placuit*, At	*placuit.* At
71	in not. αυτομομιαν	αυτονομιαν
74	*Consul*:	*Consul.*
75	anctoritate	auctoritate
78	Dissentionibus	Dissensionibus
81	Puteolano	Puteolanae
83	laudatisimus	laudatissimus
90	fraudolenter	fraudulenter
91	*Commenar.*	*Commentar.*
95	in not. thesauio	thesauro
97	MP.I	IMP
ib.	littoras	litteras
98	TRIBUNICAE	TRIBUNICIAE
102	σιν	συν
113	in not. oredas	credas

A. S. E. REV.ma

IL SIG. PRESIDENTE DELLA PUBBLICA ISTRUZIONE.

Eccellenza.

Agnello Tramater pubblico Stampatore desidera stampare l' Opera intitolata *In vetus litteratum marmor Puteolis effossum Commentarius Nicolai Lucignani Puteolanae Cathedralis Ecclesiae Canonici.* Perciò prega l'E. V. Rev.ma di accordargli un Revisore.

A dì 14 ottobre 1830.

PRESIDENZA DELLA GIUNTA PER LA PUBBLICA ISTRUZIONE.

Il Regio Revisore Signor D. Angelantonio Scotti avrà la compiacenza di rivedere la soprascritta Opera, e di osservare, se siavi cosa contro la Religione, ed i dritti della Sovranità.

Il Deputato
per la Revisione de' Libri
CANONICO ROSSI.

Excellentissime, ac Reverendissime Praesul.

Diatriben, cui titulus: *In vetus litteratum marmor Putæolis effossum Commentarius*, iussu Tuo perlegi. Ea non minus eruditionis copia, et opportunitate, quam styli perspicuitate, et elegantia Auctoris ingenium admodum commendat. Quod autem ex eius lectione perspexerim non modo in hac Principe, sed in aliis etiam nostri Regni Civitatibus penitiores antiquitatis aditus perlustrari, et latinam suadam ad bonarum artium incrementum excoli, incredibilem

mihi voluptatem comparavit. Quumque nihil deprehenderim, quod aut Religionem Catholicam, aut bonos mores, aut Maiestatis iura laedat; te etiam, atque etiam rogo, ut ipsam publicae lucis usura quam citissime donandam mandes — Datum Neapoli XIV. Kalendas Novembris A. D. MDCCCXXX.

Regius Librorum Censor
ANGELUS ANTONIUS SCOTTI.

Napoli 20 *ottobre* 1830.

PRESIDENZA DELLA GIUNTA PER LA PUBBLICA ISTRUZIONE.

Vista la dimanda del Tipografo Agnello Tramater con la quale chiede di voler stampare l' Opera intitolata *In vetus litteratum marmor Puteolis effossum Commentarius Nicolai Lucignani Puteolanae Cathedralis Ecclesiae Canonici* :

Visto il favorevole parere del Regio Revisore Signor D. Angelo Antonio Scotti :

Si permette, che l'indicata Opera si stampi, però non si pubblichi senza un secondo permesso, che non si darà, se prima lo stesso Regio Revisore non avrà attestato di aver riconosciuta nel confronto uniforme la impressione all' originale approvato.

Il Presidente
M. COLANGELO

Pel Segretario Generale
L' Aggiunto
ANTONIO COPPOLA.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Lucignani, Niccolò

In vetus litteratum marmor Puteolis effossum commentarius

Neapoli 1831
Arch. 78 u
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10257118-1